

15/-

LB 8

E. May

Gov. 72-199

J. P. F.



Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22042131>



CURANDIS HOMINUM MORBIS

E P I T O M E


PRAELECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

AUCTORE


JOANNE PETRO FRANK

SAC. CAES. ET REG. AP. MAJ. A CONSILIIIS
 MAGISTRATUS POLITICI ET OECONOM.
 MEDIOLAN., FACULTATIS MEDICAE AC
 NOSOCOMIORUM PER INSUBRIAM AUSTR.
 PRAESIDE, XENODOCHII PAPIENS. AD S.
 MATH. MODERATORE, THERAPIAE SPEC.
 ET CLINICES IN TICINENSI ACADEMIA
 PROFESSORE P. ET O. ACADEMIAR. REG.
 SCIENTIAR. GOETTING. MANTUANAE, ET
 ELECT. MOGUNT. TUM SOCIET. PATRIOT.
 MEDIOL. ET MEDIC. HELVET. SODALI.

 LIBER I. DE FEBRIBUS.



TICINI REG. MDCCXCII.



Apud Balthassarem Comini
 Praesid. Rei Literar. permittentibus.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT

1912

PHYSICS DEPARTMENT

RECEIVED
PHYSICS DEPARTMENT
UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
MAY 15 1912





PRAEFATIO.

*V*astissimae scientiae, qualis Medicorum est, fundamenta paucioribus complectere, problema sistit, cujus solutioni, BOERHAAVIO propius nemo accessit; sed ipsum hoc opus ita quidem absolvere: ut Docentes, quo loco interest, dicendorum copiam et occasionem nanciscantur; — ut Discipulorum memoriae, unius quasi intuitu verbi, dictorum mox summa suggeratur, idearumque af-

finium promptissima succedat renovatio; - ut idem hic labor Academici temporis non minus angustiae, quam cognoscendorum necessitati morborum respondeat; utque exclusis hypothesium illecebris, non ephemeram, sed constantem in arte exercenda constituat regulam, hoc, nisi omnia me fallunt, quantumvis ab eximiae notae Scriptoribus; non tamen omni, qua voluissent, felicitate impositum est sibi onus.

Haec animum quoque meum absterrere debuissent fata librorum; sed urgebat necessitas, minusque imperfectionis pertimescere notam, quam, quod Auditoribus, saltem meis, profuturum esse sperabam, reticere malebam. Nec tamen illotis hoc ad opus manibus me accessisse, ipsemet bene sentiebam: qui per quinque jam lustra, et quod excurrit, di-

V

versas apud gentes hac in arte, non sine multiplici experientiae occasione versatus, tum hanc ipsam consulere, tum quaecunque aut veterum, aut recentiorum auctoritate nituntur, in usus meos convertere potueram, atque summa, qua licuit, industria converti. Quae vero docendae artis difficultates hoc in labore considerandae erant, eas in duabus, iisque celebrioribus Europae Academiis satis expertus, attente ponderavi; neque dubium nunc quidem mihi superesse potest, Medicinae compendium juventutis commodo, nec a viro doctissimo, longiori tamen experientia destituto, nec ab alio quovis, academicae turbinis ignaro, facile posse adaptari.


Vellem tamen ab aequis tantarum rerum iudicibus ad locales, quibus praesens dicatur opus, circum-

stantias respici: quarum certe natura in pertractandorum dispositionem, ac universae doctrinae habitum quam maxime influit. In hac nempe, qua Practicae Medicinae complexum docendi munus mihi incumbit; Academia, duorum huic operi annorum impendere curriculum, non sine magnis rationibus, conceditur. Sed cum academicus apud Italos annus, ob ardentis coeli rationem, non nisi mensibus octo constetur: in quibus lectionum, nobis quidem praescriptarum, ad centum et octuaginta extenditur numerus; hinc patet, pro totius Medicinae ambitus exponendi ratione, non ultra unius anni terminum a lege assignari; qui, nisi hanc ipsam multiplici, nec interrupto aegrotantium quorumvis intuitu, ac vivis morborum difficillimorum exemplis quotidie illustrare liceret; pro

*Medicorum educatione, si contentio-
nis ac virium huic aetati concessa-
rum rationem ineamus, nequaquam
sufficeret.*

*Oportet igitur, ut in opere
academicis praelectionibus dicato,
tum praecipua scientiae momenta,
ne infelix scribendi necessitas Au-
ditoribus imponatur, sat diffuse, —
tum vero, ne superflua chartae con-
sumantur eruditione, ut sat succin-
cte exponantur. Aphoristica hinc
scribendi non ubique conveniet bre-
vitas; eaque, subsidii literarii, cum
scholas liquerit, egena juvenus non
sine magno memoriae detrimento
uteretur; sed certe hinc inde suffi-
ciet, res captu faciles vel unico
verbulo, docentis voce ulterius illu-
strando, adnotare, ac intellectus
exercendi discipulis occasionem con-
cedere.*

*Hac libertate, pro ingenii mei
et experientiae ratione, utens, pri-
mum, de curandis hominum morbis,
qui de febris tractat, Auditoribus
sisto librum; sequentes, cum non
uno humeris oppressus pondere in-
cedam, horulasque paucas talia scri-
benti concesserint superi, quam prom-
pte id fieri licebit, communicabo.*





INTRODUCTIO.

PARUM aegrotant, quae naturali instinctu reguntur, animalia, victuque simplici contenta, corpus in eodem quaerendo exercent, labore non exhauriunt, passionibus animi necessariis, salutaribus concutiuntur, et quae interdum detrita fuerunt, ad noctem quietam componunt. Eadem quondam felicitate et hominem gavisum fuisse, traditio, historia Populorum docet, quos pridem, quos nostris temporibus vitam prorsus animalem duxisse vidimus. Pauca certe hominis aevum animalia attingunt; nulla sub coelo adeo diverso, sub

ardenti zona non minus, ac sub gelidissimo septentrione, victu penitus contrario, sanitatem aequalem, ac humana facit species, diutissime conservant.

Homo, sic consideratus, vix aliis, nisi decrepitae aetatis, incommodis videtur primum succubuisse; alia vero *externarum* laesionum ratio est, quibus audax progenies terrarum imperium tum coeteris animantibus, tum propriae speciei disputans, mox subjecta fuisse debuit. *Chirurgiam* igitur Medicina forsitan seniore esse, concedimus lubenter; sed vix serii quidquam ex hoc ipso inferendum esse putamus: nobilitas enim scientiarum non ex earundem antiquitate majori; sed ex necessitate ac utilitate eruenda: qua quidem consideratione ars utraque pari passu ambulat, eadem dignitate gaudet, et iisdem principiis superstruitur. Nec minus Chirurgo Medicinâ, quam Chirurgiâ Medico opus est; ut male ex hominis superficie vel interna, vel

externa, *unius* scientiae desumpta sit divisio.

Primus autem vel Medicus, vel Chirurgus, fuit *natura*; alter, *casus* erat, et *experientia*, necessitatis filia. Primos ab animalibus remedia didicisse homines, fabula est. Qui morbo prehenditur, cibos fere nusquam appetit, saepius eosdem abhorret, ab assumptis plectitur, abstinentiam sponte colit. Qui dolet; jactatur inquietus, et in varias corporis se volvit, revolvitque positiones: quarum meliorem, quousque haec fuerit, retinet. Qui vomiturit; hic digitum (primum forte mortalium emeticum) faucibus intrudit, et ad sui exonerationem ipsemet ventriculum provocat. Qui sanguinem ex vulnere profundit; plagam, quam citissime potest, obturat, atque sic omnis Medicinae rudimenta in ipsius doctrina naturae, et in eorum, quae aut nocuerunt, aut casu, vel consilio profuerunt, observatione, sunt quaerenda. Hinc nunquam non Me-

dicina fuit, et expulsis Roma Medicis, haec ipsa expelli sine civibus non potuit.

Cum vero cuivis natura non supeteret, nec experientia suggereret remedia; quicumque pietate commotus ad expositos in triviis lectulos praetereundo vel accersitus adiret; hic, si quid nosset, quod sibi, quod aliis in simili malo conduxisset, Medicinam proposuit. Sensim vero sensimque vel seniores, quibus vita longaeva majorem experientiam concesserat, vel patresfamiliae, vel proceres viri, qui filiorum, affinium servorumque majori numero praesidebant, frequentiori observandi occasione instructi, cognitione coeteris medica antecellebant. Hinc veneranda artis, et Regia, et divina fuerunt incunabula.

Quemadmodum vero artes et scientiae ex *Aegypto* cum *Colonis* in *Graeciam* transvectae fuerunt; ita haec ultima princeps Medicinae et Chirurgiae puerascentis Theatrum si-

stit; sed jam in *Aegypto*, cum in morborum curatione *Divini* aliquid esse videatur, quod mortalium animos non injusta admiratione percellit; qui Deorum cultui dicabantur, his ipsis Medicinae adminiculis, ut Populorum in sese reverentiam et fidem augerent, usi fuerunt, nec sine humanae mentis cognitione in his versati sunt. Infensi Numinis placare iras, favorem implorare, *Sacerdotibus* Populus commisit. Hi primam morborum originem, quam ex legum naturae neglectu debuissent, a *Jove* offenso derivarunt, atqua holocaustis redimi salutem docuerunt. Fiducia aegrotantium in *Sacerdotem Medicum*, ineptissimis rebus virtutem; remedii virtus, majorem *Pontifici* aestimationem dederunt: ut *Medicina* aris, araeque Medicinae fulcrum sibi mutuo concesserint.

Sed ipsa scientia a *Divina Pathologia* non parum obfusata, vix alia sub *Sacerdotio Medico* habuit incrementa; quam quod hoc ipsum,

Deorum effata et consilia, experientia hinc inde comprobata, in futuros usus conservaverit; sacrificia vero *pura ab impuris*, Deorum nutu indignis, secernendo, et attentiori oculo perscrutando, prima, tum sani, tum morborum corporis *Splanchnologiae* posuerit, deperdita aliis, fundamenta; et victum, coelo, temperamenti congruum legibus definiverit divinis: quae ultimae tum apud *Indos* primum, tum apud *Arabes*, *Aegyptosque* datae, non parvam *Sacerdotum Legislatorum* his in rebus perspicaciam manifestant. Cadaverum condiendorum *Aegypto* propria et a certis, publicisque hominibus suscepta sollicitudo, variis circa morborum causas, vel effectus observandi occasionem dedit: ita ut *Anatome Pathologica*, prae *Physiologica*, hominum attentionem sibi arripere debuisset; nisi fatali iterum influxu, qui cadaver tractare susciperet, hunc *impurum* declarasset Sacerdotium.

Principiis vero hucusque desti-

tuta Medicina , scientia non fuit ; sed morbi sibi aspectu similes , aut remedio eodem curabantur ; aut nullo : ita tamen , ut certae familiae majori pollerent *remediorum* catalogo , et restituendae aegrotantium salutis prae aliis constantius invigilarent . Sic res haec constituta fuit : donec Vir , humano major elogio , *Hippocrates* , prima , et solidissima artis fundamenta , ex disjunctis admodum materiis construeret , morborum decursus fideliter adnotaret ; futurae salutis , aut mortis indicia colligere , causarum , remediorum actiones succincte ac vere enarrare , et attentissimum ad singula observatorem agere , indefessus continuaret .

Vix autem extincto novissimae scientiae fundatore , Philosophorum deliria , quod ante *Hippocratem* , *Pythagora* duce , jam fecerant , *Platonis* nunc auctoritate , Medicorum capita invaserunt , atque divina Medicinae vix nascentis lineamenta absurdissimarum hypothesium fucis inquinaverunt .

Erasistrati tandem aevo, in tres partes divisa est scientia: quarum una quidem *diaeta*, *pharmacis* altera, ac *manu* tertia, morbos oppugnaret. Singulas has partes temporum insania ac indelebilis ratiocinandi pruritus adeo infestavit: ut, *Ptolomaeo* regnante, tantis major deliramentis *Empyricorum* pater *Serapio*, ratiocinio cuivis in medendo valedicens, ad solam hac in harte provocaverit *experientiam*. *Dogmaticorum* Secta, hujus quidem auctoritatem negare non ausa, subtiliorum tamen rationum abrepta ludibrio, lubentius huic ipsi, quam lentiori, ac ingeniis ardentibus nimis fastidioso observationum studio adhaesit.

Ex *Graecia*, *Romam* nunc profecta Medicina est: quam tamen, ut crudelem, cum *Archagato* urbs citius expulsi. *Asclepiadi*, eloquenti, sed vanissimo homini, faciendae Medicinae jus nunc impertitur; et, sub *Augusto*, a *Themisone*, *methodicorum* Sectae fundamenta ponuntur.

Mox

Mox vero magnum Romanis lumen, *Celsus* apparuit: qui, nisi ipse Medicinam utramque exercuerit, dictionis elegantia ac veritate eandem fecisse meretur.

Sequitur hunc Vir graecus, stupendae eruditionis, *Hippocratis* ultor, mox invidia *Roma* expellendus; sed, inimicorum victor, gloriose iterum rediturus, *Claudius Galenus*. Subtilioris interim ingenii illecebris nec hic sibi cavet satis, quin arti suae gravissimos errores intulerit, per multa secula, quibus solus hic *Pergamenus* legem imposuit, duraturos.

Incertae quidem, nec tamen facile *Galeno* prioris, aetatis Medicus, *Aretaeus*, fidelissimus, post *Hippocratem*, morborum pictor, quam *graeca* tellus, nisi posterum neglecta, Medicinae favisset, ubertim ostendit. Aliorum reliquias hoc ex solo collegerunt *Aetius*, *Aeginetta*, *Alexander Trallianus*, *Oribasius*, *Paulus*, *Palladius*, *Theophilus*, ultimusque graecorum, *Actuarius*.

Nunc Barbarorum incursiones, ut scientiarum omnium, sic et Medicinae culturam suffocant. Quae chartis diligenter consignaverat antiquitas, ea cum his pro maxima parte conflagrant; reliqua suppellectili potiuntur *Arabes*, inter quos *Haly Abbas*, et *Rhases*, et *Avicenna*, et *Hali*, ejusdem filius, *Avenzohar* demum, et *Averrhoes*, et *Albucasis*, obscuritate, garrulitate, ineptiis, ac superstitionibus inclaruerunt. Nec tamen, cui patientia non deest, illi ex Arabum ruinis hinc illinc pretiosam gemmam eruendi negabitur occasio; nec populus integer in re tam seria, et in omnibus, quae salutem concernunt, perpetuo, tot seculis, delirare consuevit. Copiosas interim Scriptorum hac ex gente nugas, *Aristotelicae* insomnia *Philosophiae* auxere; ac tales quidem, pro solidissima Medicinae basi, ad praesentis usque principium aevi, in singulis Europae Academiis interpretabantur. Sic fere de scientia salutari actum

erat, cum in aeternum sacra hominibus *typographicae* artis inventio, codices ex Bysantino pulvere aliquos eduxisset, et major iterum *Hippocraticae* doctrinae haberetur ratio; licet et tunc temporis Interpretes, galenicarum subtilitatum, et loquacitatis arabicae quamplurimum intersererent. Accesserunt Chemicorum, Alchemicorumque deliria; donec cognoscendi corporis humani perspecta satis necessitas, ad meliora excitaret immortalia *Mundini*, *Berengarii Carpensis*, *Vesalii*, *Columbi*, *Eustachii* ingenia. Circulatio sanguinis, non prorsus adeo incognita, ab *Harveo* nunc demonstratur; quin tamen hac ex doctrina emolumenti tantum, ac praevideri debuisset, in Medicinam redundaret. Deteguntur tandem, *Asellio* duce, vasa lactea, et mirabilis hodiernae de vasis lymphaticis doctrinae struuntur fundamenta.

Interim *Hippocraticae* studium doctrinae augetur ubique, ac *Sydenhami*, Viri insignis, labore pristina

dignitas Medicinae restituitur. Hae luce praefulgente, majores in arte progressus fiunt: superaccedit *Stahlii*, fr. *Hoffmanni*, et demum *Boerhaavii* immortalis solertia, qua salutiferae artis incrementa giganteis mox passibus promovebantur, nisi mathematicis rem medicam argumentis fulcire nimis tunc scholae conarentur. Tandem collatis populorum omnium laboribus, et observatorum ubique crescente numero, antiqua et ab *Hippocrate* frustra inculcata filiis veritas Medicorum animo affulsit, et, *Vanam esse, quae ex observationibus non deducatur, doctrinam*, uno nunc ore profiteamur coacti.

Nullum vero non tempus fuit, in quo Medicorum ab arte aut salutis praesentis conservatio, aut amissae recuperatio sanitatis non merito exspectaretur. Ac primum quidem, sicut nobilissimum Medicinae objectum, sic et faciliorem officii partem offerret; nisi per ipsam hominum incuriam, et voluptatum, pathematum-

que animi tyrannidem, pars maxima curae impediretur. Nec tamen vel causas morborum omnes a civibus avertere possibile est; nec Medicis datur, Principum in fugandis populorum miseriis, ac evitabilium morborum causis negligentiam ubique supplere. Praesentem jam morbum *consilio* aequae, ac *auxilio* curamus: inter quae, primum, aegrotantes, qua ratione in morbis vivendum sit, ita docet: ut ad graviores etiam ex istis felicitate magna tollendos persaepe sufficiat. Vis etenim magna in corpore tum animali, tum etiam vegetabili latet, qua ipsa natura vulneribus prospicit, vel separatas ab invicem partes adglutinat, vel ammissas restituit, illapsa peregrina involvit, obducit, expellit. Ergo vel *nihil agendo* non raro morbos curamus; nec *auxilio* indigemus, nisi cum, aut nimias naturae vires temperare, aut collapsas erigere, aut demum aberrantes ad finem suum reducere oportuerit. Quodsi vero haec ipsa requiri

videantur (in quo certe major medentis prudentia haeret) : tunc fere ad quatuor , pro necessitate recurrendum erit subsidia : vel enim *diaceta* , vel *pharmacis* , vel *manu ac instrumentis* , vel demum *morali* succursu aegrotantibus operam praestamus . Sic solo interdum mutato victu , salutem quam optime consulimus ammissae ; sic prudenti pathematum directione , non paucorum morborum radices rescindimus , forentque plura ex sollicito mentis regimine , si , quam coeteris industriam remediis , hanc animi studio humani impenderemus , exspectanda .

Qui morborum pericula aufugit , hic statu , morbum inter et salutem medio , languet , et medentis certe consiliis et auxilio *reconvalescens* indiget . Multi quidem vel in ipso portu naufragium patiuntur , et vix pauciores , qui morborum fines , quam qui initia spreverint , tum propria , tum Medicorum frequentius culpa , interimuntur . Renascens hoc tempo-

re ciborum appetitus, et major mentis irritabilitas, tum illud, quod *acutae* quamplures, conamine naturae non uno, sed repetito, ac per sat magnam reconvalescentiae partem continuato terminentur, ad *recidivas*, aliosque, primo peiores, morbos communissimam occasionem largiuntur. Idem vero principium, quod expellendae in morbis causae invigilat; in reconvalescentibus ad resarcienda naturae damna occupatur, et nunc directione indiget; nunc erigi, nunc vero moderari contendit; nec una est aegrotantibus; sed, pro exantlati vix morbi diversitate, alia et diversa reconvalescentia, quae ipsa mirandum, nec Medicis intellectum satis, naturae opus constituit.

Atqui haec singula scientiae, quam profitemur, vastitatem, ac difficultates abunde manifestant. Duo vero sunt, quibus has superamus subsidia: regularum scilicet, quae artem dirigunt, scientia, vel *ratio medendi*; et faciendorum ex factis simili-

bus dilucidatio, sive *experientia*. Prima, quae circa morbos singulorum *cognoscendos*, tum *curandos* versatur, *Therapeia specialis* vocatur; alteram, frequens aegrotantium, non simplex aspectus, sed attenta observatio, rectumve de singulis iudicium, conciliant: quod *Clinicum*, sive rerum ad aegrotantium lectulos contingentium, scientia practica, appellatur. Nec ratio sola, nec experientia, hac ipsa destituta, tam arduo in opere sufficiunt. Illa quidem, perpaucis Medicinam morbis assignavit; haec vero non fido semper, in *analogia*, duce dirigitur. Alia vero ratio in rebus medicis vel sola mentis prolicitur acutiae; alia, quae experientiae filia est, et ex totidem corolariis, a fideli observationum alienarum congerie deductis, systema offert, ex quo, ad morbos necdum conspectos, consilium petimus. Prima quidem, hypothesium ac errorum fertilissimam genitricem constituit; altera solidissimum Theoriae,

ac fere unicum, cui fides haberi queat, fundamentum largitur.

Hac Theoria, et cognitionum pathologicarum, ac Therapeuticarum summa instructi, oblatos nobis morbos *dignoscere, judicare, ac demum curare, vel saltem lenire*, intendimus, Ac primum quidem, praestamus mente in causas, inque symptomata morbi attenta. Causarum quidem non ubique tam evidens natura observatur; ac interdum, earundem ignari, non minus (intermittentium, scorbuti exemplo) morbum curamus. Sed magna certe ex illarum recta consideratione petuntur auxilia, et cognita epidemicae constitutionis natura, illius saepius defectum supplebit. Morborum iudicium, sive *diagnosis*, ex symptomatum similitudine, aut discrepantia cum noto alterius morbi caractere, eruitur, totiusque artis basin omnino constituit. Iudicium de morbo, respectu ad ipsius exitum aut finem desumpto, formatum, *prognosis* appellatur, ex

qua , sicut melioris curationis momenta saepius pendent ; sic medentis perspicacia , et prudentia quam maxime elucescunt .

Alii vero morbi non tuto satis , alii in integrum curari non possunt , ac *palliativam* potius sibi methodum expostulant . Haec ipsa methodus ad symptomata curabilis alias morbi interdum extendi debet , quotiescunque nempe ferocia illorum pericula minatur , quorum causa per curam *radicalem* tam cito auferri nequit . Haec ipsa obtinetur attenta naturae virium consideratione , harumque prudenti moderatione : quibus nempe *methodi* , tum *expectantis* , tum *activae* fundamenta potissime circumscribuntur . Causarum ablatio princeps in medendo punctum constituit , eaque sola ammissam functionum libertatem restituimus ; sed saepius aut ignotae , aut conamine tanto majores , infringi magis , quam e corpore sese expelli patiuntur .

Est vero , ut in motu sanissim

corporis, sic et in aegrotante homi-
 nis machina, sublimis quidam, et
 sacer ordo: quo natura vel in salu-
 tis restituendae opere procedit; vel
 a vi morbi obruitur ipsa. Non tam
 complicatus quidem hic ordo, quam
 morborum aspectus, videtur; sed
 exceptis tamen illis, qui, ut plantae,
 certo propagantur seminio, et eundem
 in quovis corpore morbum iterum
 producant; inter alias aegritudines
 tantus quidem non observatur ordo;
 ut in illarum ordinatione systemati-
 ca, quasi in botanicis, *Linneana*
 gaudere felicitate liceat. Interim non
 inutilis *Nosologorum* labor est. Scien-
 tiam quidem vix augent eorundem
 systemata; sed longe faciliorem red-
 dunt; indicem morborum accuratio-
 rem et practicis Medicis perneces-
 sarium sistunt; in praecipua, vel
 characteristica symptomata attentiores
 hos reddunt; paucissimis paginis se-
 culorum labores certo ordine collo-
 catos complectuntur; nomina certa
 rebus certis impertiuntur; linguam

medicam a polo ad polum diversissimis gentibus perspicuam reddunt: a cujus tam longo neglectu et confusione vere *babylonica*, magna inter laborantes exorta est discordia, et vocum magna obscuritas.

Nos quidem in ordinandis morborum familiis, dispositionem, quae minus imperfecta, nobis saltem, videtur, arripimus, primumque in hac ipsa locum *febribus*, quae essentialis, nec symptomatice sunt, concedimus; quem vero cum coeteris ordinem insequamur; ex absoluti quondam operis elencho comparebit.



DE
CURANDIS FEBRIBUS
LIBER I.

第 二 卷

第 一 章 總 論


第 一 節 概 論

第 二 節 概 論



CLASSIS PRIMA.

FEBRES.



GENERALIA DE FEBRIBUS.

§. 1. **F**EBRIS, magnae familiae morborum Pyretologia nomen est. Doctrina, quae illam considerat, cognitam a causis suis repetere, distinguere, dijudicare, curare, praevertere docet, *Pyretologia* vocatur.

§. 2. Aetati, sexui, temperamento nulli *Natura*. febris parcat: intensius fortes, imbelles segnius adgreditur: nunc simplex, nunc alterius morbi nuntius, comes, finis.

§. 3. Nec tamen ideo, quid sit febris, *Definitio*. definiiri; nec eius character evidens, specificus, necessarius indicari potest. Satellites febris omnes, Tyranni praesentiam praesentes

docent; absentes multi, non excludunt. Febris certorum potius morborum *umbra*, quam ipse morbus est. Naturae instrumentum dicere, quo a puris impura secernantur, — affectionem vitae, mortem avertere conantis, vocare, *effectum* magis, quam rem ipsam indicat; quamvis lateat tam in animali, quam in vegetabili corpore ignotum principium, quod resectas partes restituat, fractas, separatas uniat, noxia abluat, involvat, separet, expellat. Hoc principium, in fibra irritabili, nervorumque pulpa sensibili domicilium figens, in febribus multis, quam in chronicis affectionibus efficacius, stimulis erigitur, excitatur, in ipsam adeo perniciem interdum accenditur; a putrido, mephiti, veneno, miasmate, contagio, moerore, timore, fortissimo quovis animi pathemate deprimente, alimenti necessarii defectu, afficitur, deprimitur, suffocatur. An febris *affectio irritatae per inconsuetum stimulum, reagentisque naturae cum laesa abhinc functione aliqua*, dici mereatur? Sed satius est rerum differentias intelligere, quam de nominibus contendere. In multis certe febribus, superato fere per morbi causam vitali principio, haec naturae reactio tentamen magis ad reactionem, quam reactio dici potest.

§. 4. Symptomata febrium, easdem vel praecedunt et futuras indicant (Prodroma); ^{Symptomata.} vel conjuncta, ipsam febrim constituunt (constitutiva). Prima, interdum desunt; alia simul sumpta, febrem efficiunt; separata vero, auctoritatem saepe perdunt; aut saltem absentem febrim absentia sua non evincunt.

§. 5. Signa prodroma (§. 4.) febribus ^{Prodroma.} accidentalibus, sunt: animi morositas, taedium, torpor, oblivio rerum, irritabilitas, sensuum obnubilatio, mutatio, anxietas; artuum, corporis gravitas plumbea, dolor obtusus, ingrata sensatio, segnities, cita defatigatio, pandiculatio, oscitatio, aversatio cibi, oris mucositas, siccitas, sitis, praecordiorum molestia, ructus, nausea, vomiturius, cutis ariditas, contractio, levis horror ex spina dorsi oriens, scapulas ascendens, descendens lumbos, pectus transversim perstringens, cum calore vago, intercurrente; ulcerum exsiccatio, livor; faciei pallor, rubor insolitus, mutatio magna; capitis gravitas, obtusus dolor, oculorum splendor imminutus, auctus; somnus terrificus, interruptus, inquietus, nullus; sopor continuus, non reficiens; excretiones na-

turales, adsuetae, deficientes, auctae, perturbatae.

Lassitudo .

§. 6. Symptomata constitutiva sunt.

a) Signorum praecurrentium (§. 5.) continuatio, augmentum. *Lassitudo* imprimis major, et anxius aegritudinis sensus; vires quidem interdum auctae sub deliriis, furore; interim tremor et actionis inconstantia, robur taurinum cum incertitudine motuum, et manifesta functionum laesione observantur.

Frigus .

b) *Algor, horror, rigor*, sub quibus cutis pallescit, contrahitur, arida, anserina fit, rigescit; ungues albescunt, livent; tactus imminuitur, ammittitur, depravatur; memoria labescit; muscoli tremunt, conquassantur; vasa ad superficiem collabuntur, disparent; pori clauduntur; respiratio inaequalis, tussiculosa, difficilis, anxia redditur; ventriculus turget, opprimitur, vexatur, nauseat, vomiturit, flatus, contenta eructat. Oris cavum, lingua, siccescunt, cum sapore aut nullo, aut mucoso, amaro; siti, potum copiosum, stomacho gravem, infestum, exigente. Urina copiosa, cruda, aquosa. Pulsus contracti, exiles, frequentes, vel etiam naturalibus

lentiores, valdeque inaequales. Sed nunc frigus *verum*, a thermometro confirmatum; nunc *ad sensum* aegroti, cum calore corporis naturali, vel etiam majori. Nunc corpus omne, nunc pars haec, vel illa friget. Continuatio frigoris et ordo, variabilis: nunc calorem saepissime praecedit, intercurrit, subinde sequitur; nunc excludit, nunc saepe deest, atque a calore excluditur ipsum; aut denique solum, per horas bene multas, scenam ludit, claudit, vitalem calorem adimit, extinguit.

Ex his apparet, *frigus* necessarium febris symptoma non esse; caloris rationem aequam in se non continere; neque aliam, quam in Causa. ipso nervorum systemate, ignotam licet, petere originem.

Effectus frigoris febrilis maxime conspi- Effectus frig. cui, sunt: circuli humorum inaequalitas, languor, interceptio; capitis, pulmonum, cordis, vasorum majorum oppletio; solidorum robur infractum, systematis lymphatici debilitas, desidia, fluidorum compages mutata, disjuncta, extravasatio, stagnatio in cavis corporis, cellulosa tela; obstructio glandularum, viscerum, canalium excernentium; nervorum affectio multiplex. Sub medio febris decursu, praesentis inflammationis suppura-

tionem, gangraenam, mortem, interdum indicat.

Calor.

c) *Calor* frigus insequens, praecedens, intercurrens, vel et sine hoc prorumpens, saltem ab eodem non pendens, aut directus, nunc *verus*, nunc *sensu* aegroti solo percipiendus, universalis, partialis, internus, externus, *interdum nullus*, vix unquam 16. gradibus (fahrenheit.) naturalem superans, primum mitis, intersectus, mox auctus, siccus, deinde humidus, saepe mordax, digitosque urens.

Inter haec *pulsus* redduntur frequentiores, aequaliores, liberiores; interdum vero a naturalibus vix differunt, cum vibratione ad certas corporis partes, collum, tempora, loca inflammata, evidentiori, fortiori. Caput calet, dolet; memoria redit, sensusque interni acuuntur, saepius turbantur. Genae rubore intenso, oculi splendore nitent, fulgent; sitis augetur, vel et cum frigore imminuitur; respiratio velox; sed, nisi pectus locali malo obruatur, expedita; urinae flammeae, subrubrae, brunae, crassae, mox turbidae, jumentosae; nausea, vomituritio continuat, augetur; vel saepe cum frigore cessat.

Causa.

Causa caloris tum *sani*, tum *morbosi*;

parum intellecta; effectus miri, explicatu difficiles, saepe contrarii. Ipse quidem *calor verus, morbosus*, ex augmento causarum, quae calorem *sanum* producant, vel ex respiratione aucta, ex reactione cordis, arteriarum, virium nervosarum, sub stadio frigoris, spasmi febrilis, oppressarum, resurgente pendet: nunc *simplex* et purus, nunc igne *composito*, inquinato deflagrans. Calor *ad sensum*, nervosum systema a causis accidentalibus aggressum testatur, et ab acri contagioso, gastrico, exanthematico, specifico, purulento alio exoritur.

Effectus caloris animalis *sani*, vitalis, Effectus cal.
est fluiditas, circulatio, perfectio, secretio humorum, vasorum libertas, mobilitas; irritabilitatis, sensibilitatis cuius parti propriae conservatio.

Effectus caloris *morbosi, simplicis*, seu puri, consistit in viscidae, tenacis materiae solutione, ad subeundum circulum dispositione, immutatione; vel ad futuras excretiones, suppurationes, metastases, crises, praeparatione, maturatione: hinc febrium multarum, intermittentium, acutarum, in solvendis obstructionibus benignis, morbis chronicis, virtus; tumoris immaturi, saxei, in mollem et

fluctuantem abscessum, et materiae ad futuras depositiones, judicationes, elaboratio, *coctio* veterum. Calor diversus, mitior, intensus, brevis, longior, ad subigendas, praeparandas, maturandas, excernendas morbi materias requiritur: exemplo abscessuum, ulcerum, variolarum, morbillorum, dato tempore, calore incubandorum. Calor nimius coagulandae quidem lymphae impar, secretiones tamen immutat, turbat, creat novas, auget naturales, aut supprimit; fluidorum miscelam alterat, sejungit, inquinat, fluidiora canalibus expellit, expulsa, stagnantia, corruptioni propriae, celeriori, exponit; circulantia vero ob vim vitae resistentem non putrefacit quidem, sed ad putrefactionem disponit; acredinem evolvit, exaltat; sensibilitatem, irritabilitatem auget, immutat, obtundit, extinguit; lympham, fluidiore parte spoliatam, ad coagula, sub data quiete, proniorem reddit, et infarctus, obstructions sollicitat; nimiae vasorum extensioni, distractioni, rupturae ipsi, et haemorrhagiis favet. Si, praeter causas calorem augentes, stimulus alienus accedat, vel in corpore latens evolvatur, aut generetur: tunc multiplex, infidus saepe, et obscurior caloris effectus, cum partium, totius pernicie.

Calor *ad sensum*, internus, externus, partialis, urens, mordax, effectus causis suis proprios producit, eo majores, quo minor vis cordis, nervorum, his subigendis, immutandis, expellendis invigilat. Hinc *coctio* in febribus contagiosis, nervosis, lentis, in subjectis cachecticis, aut nulla, aut tarda, aut mala; abscessus sordidi, metastases frequentes, insecure, inutiles, gangraenae, paralyses, infarctus viscerum, hydrops, atrophia, tabes.

d) *Pulsus naturali frequentior*, tam sub *Pulsus febrili* frigore (b); quam imprimis sub ipso febrili calore (c). Interdum *celeritate* magis, quam frequentia aucta arteriae micant; sed non raro in ipsis adeo acutis, nervosis, contagiosis febribus, sub ipsa phrenesi, peripneumonia, pulsus pacati, naturalibus non frequentiores, sed longe etiam lentiores. In febre *larvata*, vel et *perniciosa intermittente* saepe nullum in pulsu febris indicium: ut arteriae, fallacissimo signo, minime sit fidendum.

Reliqua febrium symptomata pedisequa, sitis, anxietas, delirium, pervigilium, sopor, convulsio, dolor, alvi obstructio, laxitas, haemorrhagia, sudor, exanthemata, partim vix memorata, partim sub specierum

pertractatione consideranda, minus praedictis essentialia sunt, eorumque natura, causae, effectus, in *pathologicis* opportunius explicantur.

Causae.

§. 7. Causae remotae, quae ad febres disponunt, occasionem porrigunt, multiplices, saepe sat manifestae. Februm origo et ratio *proxima*, profundius, quam ut oculo mortali distingui valeat, delitescit. Non enim vel aucta in capillaribus vasculis resistantia et lentor humorum, — non sensorii communis irritatio, — non energiae ejusdem debilitas, vel alia luxuriantis ingenii deliramenta, nodum hic solvunt; neque miasma, neque contagium generum febrilium rationem in se continent, aut reliquas causas excludunt.

Materiae febrilis ideo non major habetur cognitio: neque enim in febribus aut fluida semper accusanda sunt; aut, sicut saxa torrentes, ita peccantem secum materiam volvunt; neque morbum magis fecit, quam a morbo factum est, quod sub *crisi* per diversa rejicitur colatoria; vel saltem non tantum nudum intuentium illud subjicitur pupillae.

§. 8. Causae febrium cognitae (§. 7.) sunt: 1.^o *externae*, corpori admotae, ingesta; 2. *internae*, in eodem evolutae, generatae; 3. ex utrisque *compositae*. Continuatio

Ad primas spectant ambientis atmosphaerae frigus, calor, siccitas, humiditas nimia, inquinatio mephitica, contagia specifica ex aegrotantibus aliis, tum propriae, tum, quod rarius contingit, alterius speciei, scaturientia, atque per insontem quidem, sed evolvendo, diffundendo veneno sub certis et incognitis circumstantiis faventem magis aerem, ad limitatas distantias eliquata, — nunc per cutis externae, internae spiracula, nunc vulnere, nunc utraque via, invasione aut unica, aut repetita, dispositis timore, moestitia, inedia, debilitate, aut modo demum incognito, subjectis communicabilia; laesiones variae: contusio, concussio, luxatio, fractura, erosio, laceratio, vulnus, adustio, distentio, compressio, oppletio, extravasatio, abortus, partus difficilis, artificialis, placentae immatura extractio, ejusdem, vel sanguinis congrumati diuturna in utero detentio, prolapsus ejusdem vel intestini, hernia, etc.; acria, venena, exterius admota, insecta per aures, nares, anum ingressa, ulcera exsicca-

ta, exanthemata, efflorescentiae cutaneae re-
percussae, depositio materiae purulentae, ir-
ritantis; *ingesta*, uti cibus, potus, copia,
qualitate peccantes, drastica, venena; exer-
citatio corporis violenta, protracta, balnea,
ictus solis, etc.

Ipsa vero et fluida et solida corporis,
ad totius destructionem materias largiuntur;
neque certius unquam venenum chymici ela-
borarunt, quam ipsi nos nobis fabricamus.
Mephitim spirant pulmones, vaporem cutis
non intellecta satis natura infestum, — re-
nes lixivium, amurcam jecur, in corruptio-
nem promptissima, calculorum materiâ ex
ossium penu pro parte absorpta, praegna
destillant. Serum sanguinis, saliva, lacry-
mae, gastricus liquor, lymphâ, mucus, se-
minalis humor, synovia, medulla ossium,
adeps, a solidorum, quibus praeparantur,
continentur, reactione quam maxime quidem
pendent; singula tamen vel sibi commis-
sa, vel certis rerum circumstantiis exposita,
propriis mutationibus subjiciuntur: licet has
ipsas quotidiana observatione confirmatas aut
definire, aut ad certas acrimoniae species re-
vocare nequaquam liceat. Sed ipsa, quae se-
cernendis liquidis praesunt, organa, stimulo

quovis, specifico, purulento, contagioso la-
cessita, officia mutant: humorem a pristino
alienum, stimulantem, insidiosum separant.
Prima morborum contagiosorum semina ab
aegrotante animali sponte evoluta, non mi-
nus certam, distinctamve progeniem, quam
animalia, plantae, quae a creatione originem
ducunt suam, habitura. Sed sola jam irrita-
tio, inflammatio, secernentium vasorum actio-
nem immutat, atque lympham, quod ca-
lor major, ac animalis est, quod acida for-
tiora, quod alcohol, aerisque contactus potuis-
sent sola, ad ipsos canalium limites, latera-
les tractus, in spissam, atque purulentam
materiam coagulat, sub ulteriori *morbosae se-
cretionis* incremento in foetidissimum, acer-
rimumque ichorem convertit. Nec minora
puris, ichorosae, sphacelosae materiae, seri,
lymphae extravasatae, mora corruptae, re-
sorptio damna infert.

In ipso igitur vivente animali tum *spon-
tanea* diversorum liquidorum a naturali blan-
ditie contingit aberratio: qua, rejecto inter-
dum gustus, olfactus, ipsiusque chemiae ju-
dicio, acrem atque stimulantem naturam in-
duunt; tum *secretionis morbosae* influxu ad
incognitas sensibilitatis auctae, imminutae,

permutatae leges evolvuntur, nascuntur diversa februm incitamenta.

Quaecunque praeterea excernendorum, vel qualitate, vel copia peccantium, aut certa naturae, habitudinis lege expellendorum, & corpore eliminationem, aut debitam humorum renovationem, distributionem retardant, impediunt; aut fluidorum in solida, solidorum in fluida actionem invertunt, aequilibrium vel in parte, vel in toto infrangunt, quo inprimis violenta animi pathemata, incitantia, deprimentia, vigiliae, studia protracta, alimentorum mala in primis, secundis viis elaboratio, succique nutritii, nobilioris, jactura, etc. spectant; illa morborum quidem plurimorum, sed inprimis februm acutarum, lentarumque causas multiplices offerunt.

Divisio.

§. 9. In tanta causarum infinitate, oportet et februm infinitum esse numerum, si vel ex illis solis, vel ex peculiari aliquo, seu manifestiori symptomate, harum species vellent multiplicari. Sed aliter naturae simplicitas, et fata systematum jubent. Non vana est interim *analogiae*, quae inter diversos primo aspectu morbos detegitur, auctoritas:

cum sic eadem medendi methodus *larvato*, sed ad cognitae febris genus reducto hosti feliciter opponatur. Est etiam causarum, licet diversarum, non parva inter se ipsas affinitas: qua, constanti actionis similitudine, in eosdem conspirant effectus, iisdemque curis avertuntur. Hinc saltem de plausibili dividendarum febrium ordine non prorsus est desperandum: et quo *simplicior*, eo naturali vicinior ille habendus.

Qui, *primo*, morborum violentiam, et periculi continuationem pro divisionis regula assumpsere, illi febres diviserunt in *lentas* (hecticas, phthisicas, cachecticas) et in *acutas* (simplices, peracutas, acutissimas.)

Qui, *secundo*, societatem morborum cum similibus, vel locum, quem sibi eligunt, considerant; in *epidemicas*, *sporadicas*, *endemicas*, *stationarias*, et *intercurrentes* disponunt.

Qui, *tertio*, tempora in morborum ingressu potius respiciunt, *vernales*, *aestivales*, *autumnales*, *hyemales* constituunt.

Qui, *quarto*, ad periodorum, et apyrexiae ordinem intendunt: in febres *intermittentes*, *remittentes*, *continuas*, *continentes* ordinant.

Qui, *quinto*, ad praecipua symptomata

oculum convertunt, illi tot species febrium, quot manifestiora illas phenomena comitantur, sibi creant.

Qui, *sexto*, ad insueta, vel ordinaria tum symptomata, tum pericula febribus conjuncta mentem figunt: in *benignas*, depuratorias, et *malignas* secernunt.

Qui demum, *septimo*, causas febrium ipsas majoris momenti faciunt, illi febres in *primarias*, aut *essentiales*, et in *secundarias*, vel *symptomaticas* bipartiunt.

Primam ex his divisionibus incertos febrem lentam inter et acutam limites agnoscere, nonnisi sub febris finem decursus celeritatem patere, nec ad morbi cognitionem aliquid contribuere, docet observatio.

Secunda febrium partitio, ob *dominantis* stationarii morbi in caeteros (intercurrentes) influxum et auctoritatem, magnae in artis exercitio utilitatis; ad ipsas tamen febris naturam et differentias eruendas non sufficit.

Eadem de *tertia* divisione dicenda sunt: qua quidem constitutio anni, ab aequinoctiis fere incipiens, maxime consideratur; nec tamen sat firma et constans febrium classificatio obtinetur.

Quar-

Quarta, antiquissima febrium distributio, facilitate et utilitate se commendat; nec tamen ideo vel praecisa satis est, vel sola sufficit, vel febrium ordines diversos, periodicis, apyrexia, vel remissionibus saepe inter se confusos, satis distinguit. Interdum ex *intermittentium* familia est, quae nequaquam intermittit febris; et interdum, quae intermittere videtur, ad lentas tamen, quas pro *continuis* habent, revocanda. Nec tam *continiens* ulla febris est, si vel unicam *Ephemeram* aut simplicem, aut protractam excipiam, ut a *continua* febre cum aliquo fundamento distinguere valeat.

Quinta divisio, in quam veteres praecipue confidebant, symptomata magis, quam febrem ipsam, pro objecto, quod certe illud curationis esse nequit, sibi assumit: vix in alium usum, quam ad febrium *perniciosarum* varietates designandas, nunc amplius adhibenda.

Quae vero *sexta* febrium adducta est in *benignas*, atque *malignas* divisio; illa, donec de *malignitatis* ambigua significatione experti convenerint, vel gratuita, vel in ipso artis exercitio periculi plena est. Neque enim febris, in qua symptomata insolita, difficiliora, ac copiosiora occurrunt, vel quae a con-

Malignitas
febrium.

suetis remediis auxilium non sumit, aut quae sub spe levitatis periculum maximum tacitalit, aut quae cum insolita virium vitalium debilitate incedit, *maligna* mox erit appellanda: nam symptomatum novitas, fallensque levitatis sub specie periculum morbi, mendicantis potius inscitiam, vel artis imperfectiorem, quam aegritudinis *malignitatem* involvit; nec, quod experto alias viro novum, — expertiori insolitum non est, *malignum*, *benignumque* simul esse potest. A solo emetico, vel dempto sanguine, non raro summa virium vitalium prostratio, fumi adinstar, dissipatur.


Ast vero, dum vanas agyrtarum ostentationes, inventaque ad terrendos mortalium animos morbosarum affectionum prosequimur nomina, an *malignitatem* ideo in morbis nullam esse, illamque pro ignorantiae, aut timiditatis partu declarare audebimus? utinam in chartis hanc negando, a lectulis febricitantium proscribere liceret! Non existit certe, quae *specificam*, quae *sui generis* dici possit, *maligna* febris; et si eo tantum fine *malignos* dicendos esse morbos contendant: ut, absque ulteriori causarum cognitione, solis pugnandum esse *alexipharmacis* credant: ma-

lignitatem potius omnem recusaverim; illosque raros quidem, insolitos, fallaces, periculosos, non vero *malignos* appellaverim. Nec illi ipsi, qui *malignitatis* nomen proscribunt, aliud eidem, quod majorem auctoritatem mereatur, *febris pestilentialis*, *nosocomialis*, *castrensis*, *navalis*, *carceralis*, *putridae*, *nervosae*, vocabulum substituunt.

Non iniquam de febris *malignitate* ideam trademus, si eam febrem dicamus, in qua nervosum inprimis systema a causis minus manifestis ita afficitur: ut summa, mox a morbi initio, et constans virium vitalium, animalium, prostratio, nec a plethora, nec a saburra abdominali, sed a subtiliore principio, saepius contagioso, proficiscens observetur; quin pericula vel tempori morbi, vel causis cognitis, vel signis aliis, in communibus morbis gravitatem indicantibus aperte respondeant. Non igitur prorsus inepta est febrium in *malignas*, et in eas, quae malignae non sunt, distributio: dummodo ex hac ipsa, methodum omni malignitati, quae *una* non est, accommodandam eruere non contendamus.

Quid de *septima* febrium divisione sentiendum sit, jam dictum est. Certe causa-

rum consideratio, et earundem ad leges affinitatis prudens ordinatio, si cum rationibus ex periodorum et apyrexiae natura petendis combinetur; dividendarum febrium non spernendum suggerit fundamentum. Quare sequentem febrium ordinationem, non quidem ut perfectam, quae in desideriis est, sed ut naturali viciniorem proponimus.



CL. I.

FEBRIS.

Affectio irritatae per inconsuetum stimulum, reagentisque naturae, cum laesa abhinc functione aliqua. §. 3.

ORDO I.

Febris *periodica*, *intermittens* legitima, ex pluribus, dato fere tempore recurrentibus paroxysmis, et intervallis, vel mox, vel tardius liberioribus composita. §. 22.

GENUS I.

Febris *periodica*, *intermittens* legitima *nervosa*, ex specifica nervorum affectione oriens. §. 29.

Spec. I. F. P. I. L. *Nervosa simplex et benigna*, sat diu sine vitae periculo, et symptomatibus non insidiosis incedens. §. 29.

— II. F. P. I. L. *Nervosa perniciosa*, symptomatibus suis aut aperte, aut insidiosae vitae minitans. §§. 31. 35.

— III. F. P. I. L. *Nervosa larvata*, sub alterius specie morbi, sine consueto febris symptomate decurrens. §§. 32. 36.

GENUS II.

Febris Periodica, intermittens legitima *gastrica*, a saburris imi ventris ortum sumens. §. 50.

Spec. I. F. P. I. L. *gastrica simplex* ex sola abdominis per saburram periodica irritatione pendens. §§. 50. 52. 55.

— II. F. P. I. L. *gastrica complicata*, praeter saburras, aliam irritationem agnoscens; nunc nervosa simul, nunc inflammatoria. §§. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57.

GENUS III.

Febris Periodica, intermittens legitima *inflammatoria*, cum aucta cordis, arteriarumque irritabilitate et actione ingrediens. §. 66.

Spec. I. F. P. I. L. *inflammatoria simplex*, a sola cordis, arteriarumque periodica irritabilitate et actione pendens, nunc generali, nunc locali affectu excrucians. §§. 66. 67.

— II. F. P. I. L. *inflammatoria complicata*, nunc nervosam, nunc gastricam indolem observans. §§. 54. 68.

O R D O II.

Febris *continua*, aegrotantem a principio morbi, ad finem usque, manifeste satis circumdans. §. 72.

G E N U S I.

Febris *continua, nervosa*, a sola nervorum sensibilitate mutata incedens, cum causis manifestis non cohaerens, symptomatibus absque ordine decurrentibus, insidiosis. §. 80. 82.

Spec. I. F. C. N. *acuta simplex*, celeri passu periculosa. §§. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 88.

— II. F. C. N. *lenta*, febricula in longum tempus insidias struens §. 91.

Spec. III. F. C. N. *acuta*, vel *lenta*, nunc sabürriis, nunc inflammatorio apparatu, nunc exanthematibus, etc. *complicata*. §§. 89. 90. 91.

G E N U S I I.

Febris *continua gastrica* ex infestis in tubo alimentari materiis originem trahens. §§. 98. 99.

Spec. I. F. C. G. *simplex*, ex ingestis, quantitate, qualitate peccantibus, aut ex corruptis in tubo alimentari, aut ex depositis in hunc ipsum stimulantibus materiis dependens. §§. 100. 101. 102. 106.

— II. F. C. G. *complicata*, cum nervosa, vel inflammatoria affectione, aut cum exanthematibus, etc. *incedens*. §§. 103. 104. 105.

G E N U S I I I.

Febris *continua inflammatoria*, ex aucta cordis, arteriarumque irritabilitate et actione oriunda. §§. 114. 115.

Spec. I. F. C. I. *simplex*, sine locali partis inflammatione, ac sine nervosae aut gastricae symptomate, invadens. §§. 114. 115. 116.

— II. F. C. I. *complicata*, quae ex inflammatoria febre, aut cum locali affectione, aut cum nervosae, vel gastricae causis incedente conflatur. §§. 115. 116. 117.

§. 10. Varios febris in corpus humanum effectus exserit. tum *bonos* (§. 6. c.): ut, expulsio acri, vel tenaci fomite, convulsiones, paralyses, cachexias, maniam, etc. dissipaverit, magnumque medicae, ac chirurgicae artis in recto febris usu positum sit arcanum; tum saepe nimis *malos*, in acutis non minus affectibus, quos incipientes febris persequitur, lethales claudit; quam in chronicis morbis: quos socia febris in acutos, mortemque praecipitat.

Febris effectus,

§. 11. *Boni* febris effectus (§. 10.) obtinentur, irritantis (crudae) materiae correctione, assimilatione; aut praeparatae (coctae) separatione, expulsionem. Ad utrumque opus, natura viribus suis (§. 3.) breviori, longiore temporis spatio utitur: quo, vel

Crisis.

cessante tandem stimulo, tumultus excitati sedantur; vel per hos ipsos *morbi materia* partitis nunc vicibus (lysis), nunc unico impetu (crisis) per colatorium opportunum, cutim, renes, alvum, vasa (crisis simplex); vel saepius per plures vias simul (crisis composita), expellitur omnis (crisis perfecta).

Variae spec.

§. 12. Interdum *crisi imperfecta* materia praeparata (§. 11.) in aliam partem deponitur: quae, si ad nobiliora loca, ad viscera, organa corporis ruat; *mala* — si minus necessaria petat; *bona metastasis* vocatur: alterum nunc morbum, acutum, chronicum, — vel si relictis novis sedibus, resorpta, intus iterum recipiatur; *recidivam*, priori morbo saepe pejorem, productura.

Dies critici.

§. 13. Haec vero (§§. 11. 12.) vergente sub finem morbo accidunt, dierumque numero *indicari* (dies indices, indicatorii); et certis demum absolvi, *judicari* (dies indicatorii, critici), dicuntur. Magna hinc diebus criticis, tum *primi*, tum *secundi ordinis*, auctoritas fuit concessa: quorum ultimi, saepe imperfectius judicantes, primis, seu diebus *decretoriis*, pro *indicatoriis* inservire, et,

praemissa *crisibus perturbatione*, diebus, nunc *paribus*, nunc *imparibus*, pro circuituum rationibus, morbos judicare asserebantur.

§. 14. Nec tamen ratio febrium tam Earum incert. materialis semper, aut in ipsis *fluidis* continuo quaerenda est: ut *crudae* materiae *coctio* ubique expectari, vel, quae sub morbi fine ejiciuntur, pro ejusdem mox causa haberi queant (§. 7.). Hinc aucta sub febris declinatione excretio, saepe spasmi cessantis potius signum, quam auxilium, fluctuansque veterum de *crisi* judicium esse ostendit. Morborum initia saepe nimis incerta; eorundem exitus aut evidenti crisi frequenter destituti; aut in dies nunc hos, nunc illos, sine magno rerum discrimine, cadunt; magna theoriae de *diebus criticis* apud ipsos ejusdem fundatores, pro saeculi doctrina numerorum scientiae indulgentes, contradictio; major hac ipsa, rei, nec menstruae periodi exemplo illustrandae, nec febrium *intermittentium* paroxysmis in *continua* imitatis, et hanc ipsam constituere creditis, explicanda obscuritas. Certum quidem in febribus ordinem, quo incipiant, increscant, persistent, declinent, in similibus morbis vix non aequalem, ob-

servamus : ut febres acutae vel prima, vel secunda, vel tertia terminentur hebdomada; sed quovis morbi declinantis die febrium crises accidere, atque has in diem vel priorem, vel posteriorem, quin pejora aegrotantibus immineant, cadere posse, observatio docuit. Nec vivendi modus, nec medendi ratio apud veteres distincta, antiquam hypothesein erroris absolvit, quin, vel auxilio ad solos dies non judicantes (medicinales) reducto, ad dies vero indices, decretorios, excluso, tempus terendo, *turgescentiam*, coctionem materiae, aut saepe non futuram, aut non necessariam, aut melioribus auguriis exspectando, innumeris aegrotantibus exitio esse debuerit. In multis certe febribus *expectans methodus* optima, et naturae *minister* est medicus, non *imperator*; sed in aliis bene multis res aliter constituta, et praecepto occasio est, quae oscitando, morbisque blandiendo, irreparabili errore ammittitur.

Conclusio.

§. 15. Ex his (§§. 11. 12. 13. 14.) apparet, febribus acutis proprium fere tempus esse, quo vel in salutem, vel in alium morbum, vel in mortem terminentur. Hoc ipsum tempus in quavis febre sedulo observandum,

et, ne medicatricis naturae molimina elidantur, nunquam non respiciendum; — sed nulum morbi diem, quo magis, quam alio, solvi morbum oporteat, vel quo, ne satisfaciamus indicationi praesenti, prohibeamur, a natura esse constitutum, credimus.

§. 16. Quare interest crisis futurae signa, Signa criseos.
 et per quae tandem colatoria expectanda sit, non ignorare. Sunt autem haec in morbis *inflammatoriis*, quam aliis, longe evidentiora, atque tempore certiore circumscripta: nec enim *crisis* dicenda est, quae *intermittentium* paroxysmos claudit, non febrem solvit, excretio; nec in continuis tam saepe *cum impetu* tentatur solutio; sed illarum pars magna per *lysin*, tum urinis, et sudoribus simul, tum per alvum, dissipatur. Haemorrhagiae per nares, uterum, anum, *symptomatae* saepius, et sub ipso morbi incremento potius, quam sub fine, ut *crises*, contingunt; per *sationem*, et per vomitum, hae ipsae rarissime fiunt; nisi latiore termino, quae sub initiis, et per totum morbi decursum contingunt, ad *crises* revocare contendas. Hinc raras sunt *perturbationes*, quae magnas, et evidentes morborum crises praecedant, nec

aliae, quam quae ab ultimae, et fortioris *exacerbationis* ingressu facile sunt explicandae: horror scilicet levis, saepius nullus; calor increscens, vertigo, caligines, deliria, anxietas, pulsum inaequalitas, sopores, et interdum lipothymiae: quae symptomata tandem sudor conspicuus, et foetens, urina turbida, cum sedimento mox fundum petente, copioso, lateritio, alibi expectoratio copiosa insequuntur, et per integram morbi solutionem (*crisis perfecta*), vel evidentio- rem remissionem, intermissionem febris, repetitis demum, sed levioribus similis naturae accessionibus (*per lysin*) terminandae.

Infida, arbitraria, et aequivoca est multorum de *pulsibus criticis* doctrina. *Sudorem* interim praedicunt cutis mollis, vapore humescens, pruriens, cum pulsu undoso, magno, nec tamen forti; alvus, urina parca. Oportet vero et copiosum prorumpere, et universalem, et calidum, et particulari odore distinctum esse illum. *Urina*, qua sola, vix febris judicatur, praevidetur *critica* sub alvo clausa, sudore minus evidenti, urethrae sub mingendo ardore, et deponendi lotii frequenti stimulo. Sedimentum est album, aequale, leve, et per sat multos dies con-

stans. *Diarrhoeam criticam* expectamus in febribus gastricis, si motus in abdomine, borborygmi, dolores intestinorum moderati, intercurrentes, ructuum, flatuumque secessio, interdum pulsus sat fortes, sed tam vi, quam tempore inaequales, aut et intermittentes, sub fine febris observentur. Atque si talia, quae purgari oportet, cum levamine purgentur; bonum est. Caeterarum crisis signa sunt maxime ambigua.

§. 17. In acutarum principio tum parvis Prognosis. signis minor fides habenda, tum de majoribus non mox desperandum est. Cachectici, alio morbo detenti, exhausti, aetas tenerior, senilis, gravidae, puerperae, sensibilissimi homines, majora in febribus pericula subeunt. Faciei magna a naturali, sine magnis evacuationibus, labore, praegressis, mutatio, collapsus, pejora significat. Quo major in progressu observatur functionum *vitalium* laesio, anxietas, inquietudo, jactatio, perturbatio sensuum, debilitas, symptomatum inconstantia, contradictio; eo majus funesti exitus periculum est: hinc deliria perpetua, dolores, sopores continui, oculorum rubores, lacrymae, perversio, linguae sicci-

tas, nigredo magna, aut tremor, respiratio difficilis, anhelosa, brevis, inaequalis, stertens, frigida, praecordiorum durities, inaequalitas, tumor, aut retractio, meteorismus, vomitus aeruginosi, herbacei, nigri, singulorum rejectio, frigus artuum, sudores viscerum, frigidi; alvi, urinae diuturna retentio, involuntaria excretio, tendinum subsultus, spasmus, convulsio, singultus, maculae lividae, gangraenosae, lipothymiae, haemorrhagiae impetuosae, et singula, nisi talia quaedam assuetis, et quo plura ex his signis simul incedunt; de majore, aut summo vitae discrimine testantur.

Therapeia.

§. 18. Cura febrium inchoanda est cum attenta causarum, quae illas produxerunt (§. 7.), perscrutatione. Ad has cognoscendas, sexus, aetatis, temperamenti, vitae generis, consuetudinis, dispositionis connatae, haereditariae, acquisitae, imprimis vero constitutionis annuae, et exitus morbi in alios, maxima ratio habenda est. Quae vero ad febrem causae occasionem dederunt; illae vel abigendae, vel saltem moderandae sunt: quo, non perspiciendae causae proximae, pro viribus saltem, detrahatur. Secundo vero, cum
nata-

natura, in stimulantem causam reagendo, febris in febre ipsa remedium indicat, nisi aut specifico illam medicamento extinguere, aut saltem alio involvere, diluere, aut quantocyus e corpore per emetica, purgantia, sudore, expellere, aut subtiliores forte in origine solidorum turbas suppressere liceat: hinc in recto febris moderamine, quod ex prudenti virium vitalium et potestatis morbosae aestimatione eruendum est, toties cardo rerum vertitur, atque methodus, nunc *expectans*, nunc *activa* indicabitur.

Sed cave, ne *oppressas* modo, *non suppressas* naturae vires incitamentis egere credas, quas sola opprimentis causae correctio impune excitat. Reagentis principii vires nimias in propriam perniciem ruentes, praeter causae irritantis moderamen, infringunt alimentorum nutrientium parcitas, potus vegetabili, saponaceo, acido commixti copia, aër moderate frigidus, animi, corporis quies, venaesectio, cucurbitulae scarificatae, hirudines, emollientia.

Vires a causa febris suppressas, hac ipsa remediis opportunis impugnata, erigunt alimentorum nutrientium, facile digerendorum, ipsius adeo tenerae carnis, vini generosi cau-

tus quidem, sed copiosi satis, usus, sinapismi, vesicantia, camphora, acida dulcificata, sales volatiles, antimonialia refractis dosibus porrecta, cortex chinae, cinamomi, roborantia alia, grato simul stimulo irritabilitatem, sensibilitatem incitantia.

Si vero languor virium cum irregulari motuum, et majore sentientis principii mutatione conjuncta incedat; non praetervisa talium causa, vino, roborantibus, excitantibus praedictis, valerianae, serpentariae virginianae radix, moschus, naphthae, opium ipsum combinanda sunt.

Dum sat aequo febris marte dimicat: tunc negativa medendi methodus, et servata pro felici tandem morbi solutione colatoriorum libertas sufficit.

Symptomatum
inmoderamen.

§. 19. Symptomata, febrilis causae effectus adeo interdum increscunt, ut ab illis ipsis primarius morbus vel augeatur, vel novus tandem generetur. In recto igitur praecipuorum symptomatum moderamine magna pars curae ponenda est; atque hoc ipsum denuo causarum symptomatibus subjacentium examen, atque consilia his ipsis opponenda requirit; hac tamen adhibita cautione, ne


phoenomeni alicujus majori, quam ipsius morbi, habita sollicitudine, principalis objecti cura negligatur,

§. 20. Febrilis materiae, quae nec reji- Cura sub crisi.
ci, nec in propriam converti naturam potest, praeparatio, et salutaris per crisin, metastasin separatio, per indicatas a natura subjecti, morbi ipsius, constitutionis genio, vias promoveatur.

§. 21. *Reconvalescentiae* non minor, quam Reconvalescentiae cura.
superatae febris habenda est ratio. Hoc vero in opere dirigendo, secundum regulas alibi tradendas, inprimis autem secundum naturam, causas, morbique exantlati finem, procedendum; nec *reconvalescens* omnis aut tam sollicite, aut tam parce nutriendus, aut alvo purgandus, aut demum roborandus; sed sua cuivis feбри, subjecto, aetati reconvalescentia est: quae diaetam sibi propriam, et medicamenta interna, externa, aut varia, aut nulla sibi exposcit. Omnibus vero aer rusticanus, amica consortia, et moderata refecti tandem corporis exercitia conducunt.

 ORDO I. FEBRIUM.

 FEBRIS PERIODICA INTERMITTENS
 LEGITIMA.



Definitio.

§. 22. **F**ebris primaria, ex pluribus, dato fere tempore recurrentibus, paroxysmis, et intervallis vel mox, vel tardius liberioribus composita, *periodica intermittens legitima* dicenda est. Nec enim omnis, qui non prorsus, aut mox in principio intermittit morbus, ad febres *intermittentes* non pertinet. Interim dum *paroxysmos* dicimus, non tantum symptomatum febrilium (§. 6.); sed cujusvis morbosae affectionis accessionem periodicam intelligimus: qua quidem dispositione, amplissima *periodicarum* familia, in sinu suo tam febres *manifestas*, quam morbos *aspectu non febriles*, ex eadem causa natos, eademque methodo percurandos, comprehendens, iisdem cancellis includitur. Nec tantum differt *intermissio* paroxysmis intermedia, a con-

tinuae febris remissione, quae exacerbationibus interponitur: ut ex illa character specificus praedictae *periodicarum intermittentium legitimarum* familiae erui queat; utpote quae nunquam tam perfecta est, ut saltem debilitas, languor, et febrilis habitus, ciborum appetitus deletus, et sitis ipsa, sub apyrexia non continent. Neque tam integra intermittentibus apyrexia est, ut aliter, quam gradu differat a continuarum remissionibus; neque febres desunt, quae, vel apyrexia instructae, ad *intermittentium* tamen familiam haud pertineant (§. 24.), et *illegitimae, spuriae, secundariae*, nobis dicuntur; vel tales, quae vel nulla intermissione signatae, huic ipsi tamen affinitate jungantur, atque eandem sibi curationis methodum exigant: ut igitur interdum a sola constitutione annua, et ab illorum, quae prosunt, observatione praesentis *Periodicae intermittentis legitimae* character erui debeat.

§. 23. Nunc vero signa febris prodroma *Symptomata* (§. 5.) *periodicam intermittentem legitimam* annunciant; nunc derepente haec invadit, et, nisi morbi non febrilis larva obveletur (§. 22.); symptomatibus constitutivis (§. 6.)

in scenam prodit. Si consuetum ordinem observent symptomata; tunc horrorem sequitur calor; calorem sudor, atque hunc ipsum apyrexia; sed interdum frigus nullum, vel calore posterius; vel calor vix conspicuus, aut partialis duntaxat, persentitur; vel aliud modo symptoma, febribus licet improprium (§. 23.), loco dictorum, *intermittentis periodicae* typum absolvit. Difficilis illinc, difficilior hic morbi, sub prima invasione, a futura *continua*, imprimis *Ephemera* (§§. 85. 106. 116.), distinctio est; nisi vel regnans morborum character, vel loci natura, vel praegressi morbi historia, vel frigus diutius continuatum, calor brevissimo tempore intense auctus, in genere, stadia febris sese citius excipientia, vel demum apyrexia accessionibus periodicis interposita, cum urina lateritio sedimento instructa, difficultatem tollant.

Diversitas.

§. 24. Distinguendi sunt a *periodicis intermittentibus*, licet eandem fere typum observent, morbi tam febriles, quam alii, qui, singulari nervorum affectione, a resorpto pure, ab acri rheumatico, herpetico, venereo, etc. a pertinaci viscerum obstructione, scirrho,

carcinomate, vel forsitan ex sola sensibilitate, irritabilitate morbosa in hystericis, praegnantibus, hypochondriacis, vel ex ignoto demum stimulo symptomatice propullulant, et corticis peruviani virtuti, consuetisque in *periodica intermittente* remediis constanter resistunt: quippe qui, licet periodos observent, aut interdum perfecte intermittant; ex intermittentium tamen classe omnino sunt excludendi. Interim causarum ejusmodi cum vera *intermittente* complicatio, diagnosis difficultatem, et diversae curationis exitus quam maxime constituit.

§. 25. Causa proxima febris *periodicae* Causae . *intermittentis legitimae*, non minus, quam illa *continuarum* (§. 7.), ignoratur. Praedisponunt ad illam febris eadem non ita pridem superata, debilitas, tempus vernum, autumnale, humida calidaque atmosphaera, corpus valdopere irritabile. Occasionem praebent exhalatio paludum, in quibusdam regionibus contagia, errores in rebus, quas *non naturales* vocant, commissi.

Quaecumque vero intermittentes legitimas causa produxerit; non *unica* haec dicenda, licet effectus, quem plures causae

habere queunt, *specificus* esse videatur. Peculiarem nervosi generis morbum *intermittentes* constituere, docet actio purgantium, venesectionis, quae febrim jam cessantem frequentissime revocant; docet pathematum animi ad gignendas, reproducendas *intermittentes* aptitudo; docet corticis peruviani, ex adstringente amaroque principio minime derivanda, mira actio, opiique virtus; docet observatio facilioris, quo tempore mulieribus menstrua imminet, recidivae; et hujus in horam, qua pridem accessio fiebat, a minimis causis derivanda incidentia; et tandem illorum, quae *imaginationem* feriunt, ineptissimorum alias remediorum, amuletorumque, probata *credulis* potentia.

Divisio.

§. 26. Multiplex est apud auctores Medicos febrium dictarum divisio: in *regulares* et *erraticas*, sive *anomalas*; in *simplices* atque *compositas*: quarum primae, *quotidianas*, *tertianas*, *quartanas*, *quintanas*, tardioresque, ut volunt, his accessiones, — secundae, *quotidianas*, *tertianas*, *quartanas*, *quintanas duplices*, *duplicatas*, *triplices*, comprehendunt; in *vernales*, et *autumnales*, in *benignas*, *depurativas*, atque in *corruptivas* et *perniciosas*; in *epidemicas*, *endemicas*, et *sporadicas*.

Paucae tamen ex his divisionibus adeo evidentem in artis exercitio utilitatem habent, ^{Regularis, erratic.} et nulla specialem methodum sat tuto indicat, nisi in complicationem, geniumque omnium attendatur. Nec enim, quae *regulares* dicuntur, eae tam statis horis adoriuntur, ut vel, quae anticipant febres (*febres subintrantes*), mox peiores; aut mitiores, quae retardant, censeri possint; nec si hoc faciant, diversa ex hinc methodo indigent.

Neque Typorum differentia naturam febris mutat: cum eadem febrilis affectio nunc hanc, nunc aliam in typum transiliat, eodemque modo ac specifico sanetur.

Quotidianas, id est, quae singulis diebus ^{Quotidiana} easdem accessiones, et decessiones agnoscunt, conspicui in arte viri negarunt, nisi *nocthas*, et quae in phthisi, aliisque lentis affectionibus observentur. Sed licet quamplurimae ex *quotidianis*, minime ad intermittentis legitimae spectent familiam; vidimus tamen, de quibus dubium esse non potuit, et quarum similes quotidie paroxysmi *tertianae duplicis* conditionem non arguebant. Caeterum *quotidianae* paroxysmi matutinis utplurimum horis invadunt; et quae post meridiem, vel noctem versus quotidie accedunt, eae

saltem suspectae sunt, et facile ad aliam periodicarum tribum pertinere observantur; licet et ex hac tales nobis occurrerint, quae matutinis horis *quotidianae legitimae* naturam aemulabantur.

Tertiana.

Tertiana, quae pomeridiano tempore delectatur, licet matutinis etiam horis incidisse noverimus, *alternis* diebus easdem accessiones, decessionesque affert, diemque intermedium aegrotis, inter omnes frequentissima, liberum concedit. *Tertianae* in *exquisitam*, et *notham*, a paroxysmorum extensione minori, majori, petita distinctio, practica utilitate destituitur. Interim *tertiana*, caeteris fere promptior est in *perniciosas* intermittentes, et frequentius epidemice grassatur.

Quartana.

In *quartana*, accessiones fere similes, post duorum nycthemerorum apyrexiam, quarta quavis die vespertino ut plurimum tempore, revertuntur. Horror illam evidentior, quam alias, longiorque saepius annunciat, calor longiori mora protrahitur plerumque; atque relicta sibi haec febris, pertinacius aegrotum vexat, habitum ei febrilem magis, quam aliae, communicat, faciliusque, licet devicta, in recidivas ruit, autumno imprimis *dilecta*, visceribus insidiosa.

Quintanam, in qua, post trium dierum Quintana:
 apyrexiam, quinta quavis die novus paroxy-
 smus ingruit, quod et alii de se testantur,
 nos ipsi aliquoties vidimus, facilis tamen,
 nisi constanter sic incedat, in calculo error
 occurrit, et tertianae non observata, aut de-
 ficiens unica invasio, pro *quintana* incautis
 imponit.

Quotidianam duplicem legitimam, cum sat Quotidiana
duplic.
 perfecta, inter duos paroxysmos, eadem die
 superaccedentes, integritate, non nisi unica
 vice vidi; observarunt alii.

Tertiana duplex accessiones quotidie, al- Tertiana du-
plex.
 ternis diebus aut vi, aut tempore correspon-
 dentes, agnoscit, frequentissima incipientis
 autumnii soboles, sed et verno, et quovis
 alio tempore, occurrens, cui principium fere
 et finis *simplex* esse consuevit.

Accessus binos, alternis diebus invaden- Tertiana du-
plicata.
 tes, quos *duplicatam tertianam* efficere dicunt,
 nunquam vidi, nisi hecticæ febris proge-
 niem.

Idem fere de *tertiana triplici*, quæ prima Tertiana tri-
plex.
 et tertia die binas accessiones, secunda vero
 et quarta, unicam agnoscat, asseruerim.

Quartanam duplicem, cui tertia quævis Quartana du-
plex.
 dies a febre conceditur, immunis, cujusque

paroxysmus primus, tertio. — secundus, quarto correspondet, non tam infrequenter conspeximus.

Quartana duplicata.

Quartana duplicata, quae duas, quarta quavis die, secunda vero et tertia, nullas accessiones adducit, nunquam nobis visa; nec *quartana triplex*, nec *triplicata*, ex propria nobis sat longa copiosaque observatione constitit unquam. Vidimus utique accedentem *ter* in die, et sexta quavis die fortissimam semper ex his unam, accessionem, per multos menses continuasse; sed ad intermittentis legitimae familiam non revocanda fuit.

Vernalium intermittentium indoles, ab *autumnalibus* differt in eo: quod illae morbum *semiacutum* in plurimis sistant, et remissionibus magis, quam apyrexiiis, incipientis morbi paroxysmi intersecantur. Saepius in his, inflammatoriae dispositionis, ab hyberna constitutione mutuatae, aliquid latet, facilisque sub methodo calidiori, aut ab ipso cortice praepostere porrecto, in febrem ardentem exitus est. Typum quotidianae, tertianae, etiam duplicis, ut plurimum observant; venaesectioni, evacuantibus, salinis, aperientibus remediis facilius cedunt; rarius cortice indigent: ut et sponte, frequenter sa-

tis, post quintam fere accessionem, dissipentur, hominemque a variis sub hyberna quiete contractis incommodis interdum liberent; nec sine noxa in multis, praecipue quibus in pulmonalem phthisin dispositio est, praemature auxilio supprimantur.

Autumnalis vero intermittens ex *quartanarum* quam maxime, non raro vero ex *tertianarum duplicium* specie, epidemico more apud nos late grassari, biliosae particeps naturae, pertinacior et in recidivas prona magis esse consuevit. Plurimorum chronicae naturae morborum, neglecta, vel male tractata haec febris occasio est, aut sub dysenteriae, febrisque contagiosae acutae, quam *putridam* appellant, larva frequentius, et *perniciose* subinde, incedit. Est nempe et sua *intermittentibus* interdum *malignitas* (§. 9.), qua, *perniciosarum* sub nomine, nunc sporadicae, nunc epidemicarum more, strages edunt: calidioribus, et paludosis regionibus communiores, et soporosis imprimis atque apoplecticis, non raro convulsivis etiam, cholericisque insultibus, aut et asthmate, aliisque gravioribus infestae symptomatis: quibus a *benignis intermittentibus*, vel et a *corruptoriis*, quae pertinacia sua sanitatem opprimunt, distinguuntur.

Intermitt. lat-
yata .

Larvatas etiam *intermittentes* vocamus, quae, sine tanta symptomatum pernicie, cujuscunque alterius faciem morbi assumunt, nec aliter febrilem naturam ostendunt, nisi quod periodum exacte absolvant, atque a cortice peruviano, ut *legitimae intermittentes*, fugentur, nunc *universales*, nunc *topicæ*, et specialem corporis partem aggressæ (§. 22.). Jam vero monuimus, *periodicitatem* atque symptomatum *intermittentiam*, nequaquam solas ad diagnosis sufficere (§. 24.).

In locis uliginosis, paludosis, febres *intermittentes endemice* regnare, in aliis *epidemicarum* more, sub certa, incognitaque persaepe rerum conditione, insurgere, quocunque vero tempore et ubique *sporadice* prodire, regnantisque constitutionis annuae characterem facile assumere observantur. Nonnunquam aliis morbis, variolis, morbillis, Dysenteriae supervenientibus *intermittentes* locum concedunt; illis vero cessantibus, eadem typo, ordineque eodem iterum potiuntur aegroto.

Divisio nostra.

Cum vero nullo non tempore typorum his in febribus ratio invertatur, atque saepissime ex quartana, tertiana, — ex hac vero, aut quotidiana, aut tertiana duplex, aut

iterum quartana procedat; facile videre est: causam uni non aliam, quam alteri subesse; atque hoc ipsum ultro confirmatur ex eo: quod, quocunque demum *intermittens* ince-dat ordine; quaevis una eademque curari possit methodo: ut igitur desumpta ex apyrexiae longitudine *periodicarum* divisio, aliam in praxi utilitatem, quam dirigendi remedii rationem non afferat. Felicior hinc febrium istarum divisio est, quae ad causas eviden-tes, ad complicationes, instantisque magni-tudinem periculi respicit, atque sic illas suo hic ordine considerabimus.

§. 27. Cachecticus febricitantium habi-
tus, digestionis, virium omnium prostratio, Prognosis:
solidorum robur infractum, fluidorum negle-
cta resorptio, extravasatio, stagnatio, cor-
ruptio in tela cellulosa, corporisque cavis,
pertinaces glandularum, viscerum infarctus,
obstructiones, icterus, asthmata, nervorum
vitia, tremores, paralyses, sensuum oblite-
ratio, totius corporis atrophia, consumptio,
acuta denique, hecticavae febris, intermitten-
tem partim mox ab initio circumdant, par-
tim neglectam insequuntur.

Interim hoc in ipso malorum fomite,

magnorum interdum medicina morborum latet (§§. 6. 10.) praecipue illorum, qui ex suppressa inconsulto intermittente, originem habuere. Nec enim vanum febrium quarundam *depuratoriarum* nomen est, multasque cachexias, glandularum infarctus, systematisque lymphatici inertiam, obstructions, in phthisin dispositiones, intermittens, inprimis verna, persaepe dissipat vel emendat, latensque in penetralibus corporis acre per varia colatoria expellit, tenacem abdominis, pulmonum pituitam resolvit, ad expulsionem disponit. Hinc ex suppressa praepostere febre, quae *simplex nervosa* tam benigna, quam inprimis *perniciosa* non fuerit, abundantissima morborum, tum acutorum, tum chronicorum seges, et facilius certe opus est, praesentem intermittentem fugare; quam suppressam iterum revocare. Hinc tot ex hoc fonte ventriculi incommoda, oppressio, dolor, vomitus, inflatio, tot abdominis infarctus, viscerum, inprimis lienis, hepatisque volumen morbo auctum, scirrhi; tot asthmata, tussesque suspectae; tot ad nervos metastases, ex quibus spasmi, convulsio multiplex, tremores, dolores artuum, paralyses, coecitas, surditasque originem sumunt; tot denique absces-

abscessus, cutisque defoedationes et ulcera propullulant.

Nec tamen minora ex intermittente neglecta, et ex praeconcepta eandem naturae committendi opinione, profluunt incommoda: quorum pars major inepte in febrifugum, tardius tandem, quam par erat, adhibitum, rejicitur. In paludosis regionibus nulla tam insons est intermittens vel aestiva, vel autumnalis, quae non inopinato interdum aut in perniciosam, ex qua, nisi mox ab initio compescatur, mors certa vix non semper expectanda est, vel in acutam periculosam converti queat. Qui viribus exuti sunt, cachectici multi, et senes, et teneri infantes, et delicatulae mulieres; his ex longa intermittente infaustissima prognosis est. Quo diutius quendam intermittens tenuit, eo pertinacius ea medicamentis resistit, et in recidivas promior est, praecipue quartana, vel tertiana autumnalis.

Caeterum, quo brevior intermittentibus apyrexia; eo major in acutas propensio; — quo longior vero paroxysmis quies intercedit: eo evidentior in chronicas affectiones nisus esse consuevit. In primo casu, vernali imprimis tempore, accedente methodo, victu-

que calefaciente, inflammatoriae febres; sub autumno vero, ex tertiana duplici, febres saburrales periculosae, non raro oriuntur. In secundo, lienis praecipue infarctus, pedum oedema, anasarca, pectoris, abdominis hydrops, icterus et hepatis scirrhii communius observantur. Lienis inflatio, sub paroxysmis saepe magis conspicua, pedumque intumescencia interdum critica, interdum innocua, frequentius mala; nisi solventibus, vel ipsi tandem febrifugo cedere cogantur; vel largo tenuis urinae profluvio dissipentur.

A paroxysmo intermittentium vel anticipante, vel retardante, frequentius nihil in ipsa febre mutari observo. Quae tamen in acutas transiturae sunt; illae per anticipationem accessionum in illas ruere consuescunt. Caeterum quae *duplex* est intermittens, ea priusquam tota cedat, in simplicem converti solet. Oris, labiorum vesiculae, ulcuscula, crustis mox obtegi solita, interdum spontaneam febris decessionem indicant; frequentius expectationem fallunt. In ipso frigore febrili, nisi *perniciosa* hominem tenuisset, mortuum, in longo licet artis exercitio, vidi neminem, ne senem quidem. Viderunt alii. Quos sub calore periisse novi, hos acuta fe-

bris prius prehenderat. Infantes sub paroxysmis convulsi nonnunquam decedunt.

§. 28. In febre intermittente legitima *Cura general.* recte pertractanda, temporis non modo, quo febris quemquamprehendit, sed et annuae constitutionis, et naturae subjecti, morborum praegressorum, causarum remotarum, complicationis ratio est habenda. Ex his comparabit, an febris naturae pro certo tempore committenda (§. 10.); an vero, et quibusnam auxiliis dirigi, curari debeat. In hoc casu removenda sunt, quae feбри occasionem dederunt; et, quae ejusdem in acutam conversionem efficere possent, auferenda. In ipso quidem insultu, febrifugis locus esse vix potest; sed, naturae nutum auscultando, nimium sub frigore spasmus potu tenui, tepido, leniter aromatico, non multo, et tegumentis paulo calidioribus moderamur, inque senili, debiliore aegrotore, vitae viribus prospicimus, quin successurum febris calorem stimulo artificiali incendamus. Calor nimius, tegumentorum detractatione, aeris puritate, potuque acidiusculo limitatur; raro, nisi sub summo capitis dolore, pulsu forti ac duro, cum deliriis, in plethorico corpore venaesectionem implorat.

Sudor, qui calorem sequitur, fovendus; atque patienter ab aegrotante, quin aut calefacientibus eundem urgeat, aut incauto refrigerio reprimat, sustinendus: sic enim apyrexia perfectior paroxysmum coronat, febriumque sequelae securius averuntur.

Sub apyrexia, plethora evidens venae-sectione corrigenda, cruditates, saburrae, si quas adesse suspicio, aut certitudo subsit, potu, remediis solventibus praeparandae, vel jam mobiles, per oesophagum, intestina, qua porta urgere videantur, expellendae sunt. Hoc praestito, vel, si nulla istorum indicia occurrant, nec constitutionis annuae cognita id exigat conditio; his subsidiis prorsus neglectis, ad ipsam febrem fugandam descendimus.

Hoc ipsum obtinetur vel sola causarum, quae febribus favent, evitatione, cautove digestionis regimine, amarorum, tonicorumque usu, vel denique remedio, aliis quibuscunque facile superiore, cortice peruviano. Ante hujus febrifugi, casu, non ratiocinio, quod de melioribus remediis dicatis, detecti notitiam, febres intermittentes curabantur quidem, atque nostris etiam temporibus diver-

sissimis et pene contrariis inter se rebus saepe profligantur: ita ut et emetica, et purgantia, et aromata calefacientia, et quae calorem moderant, remedia, nec minus absorbentia, alcalina, quam acida; adstringentia, quam relaxantia, fugatae febris laudem nactae sint; atque exhinc ingens febrifugorum catalogus; sed major certe febrium, quae his singulis pertinaciter refragantur, numerus habetur. Neque meliori sorte remedia hoc aevo pro febrifugis venditata, hypocastani, salicis albae cortex, radices arnicae, gei urbani, aliaque multa, instruuntur; ut quae febrem quidem interdum sanant, vernalem inprimis, gastricamque sobolem, quam emetica et purgantia, jam maxime infregerunt; sed, quotiescunque rebellior caeteris quartana autumnalis, aut perniciosa demum intermittens auxilium potens expostulat; ad corticem peruvianum lubenter omnes confugiunt, et divini remedii praestantiam coacti profitentur. Nec tamen celandum hic est, huic ipsi demum cortici febres interdum reluctari, vel eodem suppressas, post breve spatium iterum, iterumque redire: quod inprimis in casu complicationis (§. 43.), vel et sub certis hominum, atque ipsius adeo epidemiae con-

stitutionibus non infrequenter contingit, ita ut cortex vel contrario praescribatur consilio; vel saltem rerum, complicationis causis oppositarum, omnino indigeat connubio. Non igitur superflua aliorum, quae febribus adversantur, investigatio est; quin ideo ad suspectissimum adeo *arsenicum* recurrendum esse credamus; et frequenter ex antimonialium, mercurialium, opiatorum, ammoniaci salis, aromaticorum unione, majorem cortex efficaciam adipiscitur; qui alias solus, sufficienti dosi, longoque satis tempore porrectus, dummodo sincerus, alienis certe non indiget.

Superata tandem febre, ne in pristinum aeger morbum relabatur, videndum est; quod, tum continuato febrifugi usu, tum imprimis ciborum, qui et facile digeruntur, et satis nutriunt, delectu, aequa vini generosi portione, vel demum amaris, chalybeatisque medicamentis obtinetur. Maxime vero circa tempus ac horam, quibus febris pridem quemquam prehendebat, nec non ad muliebres periodos respiciendum est: sub quibus ad eundem morbum sat diu major dispositio manet, quae et a fortiori quovis pathemate, ab illis, quae debilitant, in actum deduci

consuevit. Athmosphaerae humidioris, paludum effluviis impraegnatae fuga, non modo recidivum morbum praevertit; sed interdum sola est, qua rebellis aegritudo queat debellari.



ORDO I. GEN. I.

FEBRIS PERIODICA INTERMITTENS LEGITIMA
NERVOSA.

§. 29. **S**anissimos caeterum homines intermittens legitima frequenter corripit, a causis sensus fugientibus oriunda: quas, aut epidemica constitutio, aut pathemata animi, aut major sensibilitas, aut res alia demum, ignoto modo, in nervos potissimum agens, offerunt; quin manifesta vel plethorae, vel cruditatis et gastricae saburrae signa in iisdem occurrant, aut alius demum fomes, quam qui ipsam febrem in dispositis accendit, supponi prudenter queat. Hanc febrem intermittentem, sine vitae periculo sat diu, et symptomatibus non insidiosis incedentem, *nervosam*, vel *simplicem benignam* appellamus: in quam speciem quaevis altera intermittens, priusquam cortice fugetur, reducenda est.

Definitio,

§. 30. Alii ex consimili causa febrici. Nervosa complicata.
 tant; sed ob latentem prius cruditatem, aut
 ob plethoram, symptomatum nascitur *compli-*
catio, febrisque *intermittens* sistitur *nervosa*
complicata: donec solventibus, aut et solis
 evacuantibus praemissis; in simplici nervorum
 periodico affectu (§. 27.) aegritudo omnis
 versetur.

§. 31. Sub certa autem conditione tum Nervosa pernicio-
 siora.
 subjecti ipsius, tum regnantis constitutionis,
 praecipue in atmosphaera calida, humidaque
 regionis paludosae, cerebrum ipsum, vitalium
 nervorum compages inprimis afficitur, nasci-
 turque, ex causa febrium communi, *intermit-*
tens maligna, seu *perniciosa*, symptomatibus
 suis aut aperte, aut insidiosae vitae minitans.

§. 32. Alias, sine consueto febris sym- Nervosa lar-
 vata.
 ptomate, periodica intermittens nascitur affe-
 ctio (§. 24.) quae iterum vel ad *simplicem*
nervosam (§. 29.) pertinet; aut ad *compli-*
catam (§. 30.), et quam *intermittentem lar-*
vata fas est compellare.

§. 33. Omnes vero hae febres (§§. 29. Subcontinua.
 30. 31. 32.) nunc evidenter satis intermit-

tunt; nunc vero continuitate quadam obscurantur: quo in casu *intermittentis subcontinuae* vel *benignae* (§. 29.), vel etiam *perniciosae* (§. 31.) titulum sibi promerentur.

Nervos. Simpl. §. 34. In simplici *nervosa benigna*, alia non occurrunt; quam quae supra (§. 23.) enumerata fuerunt; periodicae intermittentis phoenomena.

Symptomata i.
perniciosae. §. 35. Symptomata febris *nervosae perniciosae* tam diversa sunt; ut omnium quasi acutissimarum affectionum sistant epitomen. In hoc nempe creditum est, *perniciosam a maligna* febre differre: quod terribilia illam symptomata *aperte* comitentur; aut saltem ex his unum, aut alterum, insolito more sub quovis paroxysmo compareat; interdum idem; interdum a priori diversum. Interim non ubique tam evidens *perniciosae* observatur natura: ut semper hac ipsa a malignis discedat: multi enim, aliorum in modum, a febre intermittente correpti, non gravius his ipsis laborasse ab inexpertis credebantur; cum ex improvise, sub insequenti febris insultu, vel in summum vitae periculum coniecti, vel morte ipsa arrepti conspicerentur; neque alia,

sub principio, tam funesti eventus indicia habentur; quam capitis a primo jam febris insultu, sine manifesta causa, continuata per apyrexiae spatium, obnubilatio, gravitas, insignis dolor, stupiditas, vertigo, majorque in somnos propensio; virium singularis et superior illa, quae ex simplici intermittente expectari posset, prostratio; lipothymiae frequentes, vomitus, diarrhoea exhauriens, urina semper tenuis, pellucida, vel et rubra, crassiuscula, foetida, stranguria, tenemus; motus convulsivi partiales, aut musculorum hinc inde stupor, vel contractio involuntaria; cordis palpitatio, pulsumque irregularitas, lentor, aut exilitas; et magna faciei a sana mutatio: quae singula eo magis timenda sunt sub coelo calido et noxiis paludum effluviis inquinato; vel ubi character epidemicus perniciosis febribus favet; vel in senibus, cachecticisque, aut alio morbo fractis, sensibilissimisque, nec tamen hypochondriacis hystericisque, in quibus morbi pro gravioribus facile imponunt, hominibus, infantibus teneris, puerperis, etc.

Nec varia, quae febris huic speciei imposita sunt, nomina, naturam ejusdem invertunt, aut aliam sibi medendi methodum, si

Varietates.

complicatio (§. 30.) desit, exposcunt; nec ex typi, quem observant, diversitate, differentia petenda est. Nunc etenim *quotidianae* decursum observans *perniciosa*, *subcontinuae* habitum facile assumit; nunc, quod frequentius accidit, *tertianae* ingressum imitatur; nunc vero *quartanae* typum absolvit. Quo symptomate interim potissimum terret; ab hoc nomen *perniciosae* tributum cuique fuit: atque nunc soporosis affinitate jungitur haec febris: quo spectat *perniciosa comatosa*, *lethargica*, *carotica*, *apoplectica*; nunc ad paralyses magis et ad debilitates accedit: quo reducenda est *hemiplegica*, *amaurotica*, *syncopalis*; nunc ad convulsivos affectus: ad quos pertinet: *spasmodica*, *tetanica*, *cataleptica*, *epileptica*, *emetica*, *choleric*, *asthmatica*, *catarrhosa*; nunc ad dolores refertur: uti faciunt *arthritica*, *cardiaca*, *pleuritica*, *cephalica*, *colica*, *dysenterica*; nunc vero alio eminenti symptomate distincta est, quales sunt: *algida*, *lipyria*, *diaphoretica*, *scorbutica*, *petechizans*, et aliae: ut, qui singularum affectionum, quae suam *perniciosis* denominationem impertiuntur, decursum noverit in sequentibus accuratius describendum; ille, quo rectam harum febrium ideam acquirat, nihil praeter *periodicitatis*, et peri-

culi majoris conceptum superaddat, necesse sit.

§. 36. Febris intermittens *larvata* (§. 24. Differentia larvatae. 32.) a *perniciosa*, non nisi periculi minoris differt et vehementiae mitioris rationibus; eaque similem ex praecipuo symptomate, quo periodice recurrit, denominationis originem petit.

§. 37. Quamvis vero causas non alias, Causae. quam quae intermittenti cuivis legitimae subsunt, agnoscat *perniciosa febris*; et symptomatum diversitas non ab illa causarum, sed partis, quam hae afficiunt, differentia pendeat; mirum tamen et intellectu difficile est, tot morbos aspectu non modo diversos, sed re ipsa inter se contrarios, ab agente unico fere principio derivandos esse: quod ipsum, nunc cum impetu systematis vitalis reactionem adauget; nunc eandem infringit, ac vix non supprimit; mox vero sub apyrexia fere sepultum delitescit, morbique etiam summe inflammatorii, quod in *peripneumonia perniciosa tertiana* observavimus, per horas atque dies scenam interrumpit!

Perniciosa
complicata.

§. 38. Fatendum tamen est, non tam *simplices* semper incedere *perniciosas*, ut non et *causae secundariae* interdum subesse queant medentis attentione dignissimae. Magna hic *bilis* copiosius secretae, aut morbosae, vel ipsius etiam plethorae, generalis, specialis, est actio: ut vel ex sola saburra, aut periodico vasorum infarctu, vel a rheumatico fomite super viscus coniecto, *perniciosas* quasi febres observemus: quae, vel ejecta, vel aversa *secundariae affectionis* causa, in *simplices* mox, easque benignas intermittentes commutantur. Interim vix tanta haec praestant; ut non facile effectus pro causa habeatur, et cum summo aegrotantium damno, lethalis futuri morbi pericula, specifica curatione mox a principio frustrentur. Certe, quo tempore *benignae* febres epidemice grassantur: *perniciosae* non raro subintrant; vel ex illis ipsis, aucta, ut apparet, corporis sensibilitate, vel mutata materiae sede, originem istae sumunt, eodem, quo *simplices* illae, antidocto fugandae. Nec tamen ideo, quacunque in periodica intermittente, sub fortiori accessione, vel vomitus urget, vel aliud quoddam non tam infensum symptoma dominari observatur; ea mox pro *perniciosa* declaran-

da, atque rejecta complicationis idea, ad specificam illico methodum descendendum est: qua ex praepostera medendi ratione, in regionibus, quibus frequentior perniciosarum numerus esse consuevit, insignes noxae redundant.

§. 39. Cognito, post duas, tresve morbi invasiones, febris periodicae intermittens, legitima, *nervosae*, caractere (§§. 29. 32. 36.), absente quidem complicationis (§. 30.), et perniciosae indolis (§§. 31. 35.) formidine, aut spe, latentem diu in febricitante morbum alium per ipsam febrim posse auferri (§§. 10. 27.); ad hujus curationem descendendum, neque a tempestitiva febris medela damnum pertimescendum est: quod ex longiori praesentis morbi continuatione, et perversa curationis ratione immineret.

Cura febris
intermitt. I.
nervosae.

§. 40. Abigitur haec febris (§. 29.) CO-CHINAE CORTEX. cognito intermittens legitima et simplicis antidoto, cortice peruviano, aut solito, aut rubro, in substantia, ut vocant, porrecto, eoque solo; sed exquisito, alienis rebus minime indigente. Interdum hic cortex, ob specialem aegri naturam, ob stomachi, inte-

stinorum sensibilitatem, irritabilitatem, aut ventriculum stimulat, opprimit; aut vomitu mox rejicitur; aut denique citius, quam par est, per alvum ruit: tunc, in primo casu, cinamomum, aut aliud gratum quodvis aromaticum corpus, — in binis aliis, *opium* prudenti manu remedio aut praemissum, aut sub junctum, efficaciam ejusdem sustinet, promovetque. Infusum corticis, frigida, calida paratum, ejusdem decoctum, extractum gummosum, resinosum, quin sola illius externa applicatio, per anum injectio, febrim abstulisse visa sunt; potissima virtus in *toto* jacet.

Tempus et modus administrationis.

§. 41. Sed duo potissimum, in quavis intermittente legitima; tempora, — primum, quod *paroxysmum*, alterum, quod *apyrexiam* constituit, respicienda sunt. In illo, vix praeter symptomatum moderamen, aliquid; — in isto, latescentem morbum fugare molendum est. Cedit hic antidoto, tum mox a paroxysmo, tum sub media apyrexia, tum binis fere ante illum horis, porrecto: nec tanti quidem interest, quo momento, quam quo pondere, medicamentum porrigatur. Multis arridet tardior hujus porrectio; sed non tam certum semper invasionis momentum est, multi-

multique primis ante istam horis sensibilitate majori jam affecti, singula nauseant, sumptumque remedium, ejusdem delusi effectum, expuunt. Exquisitissimi *corticis* duae drachmae ad praeventendum paroxysmum imminuentem interdum sufficiunt; sed saepius duplici dosi opus est: quae vel integra ab aegrotante assumi, vel, quod, ob facilem abhinc in multis nauseam, stomachi irritationem, rejectionem deglutiti vix remedii, praestat, divisis portionibus ordinari ita potest: ut pro majori, aut minori a pyrexiae longitudine, corticis aut minor, aut major portio simul ingeratur. Non rarum est, primum ab assumpto cortice paroxysmum adeo non imminui: ut et validior inde exurgat invasio; continuato constanter remedio in proximum facile praecavenda. Varia in variis corticis ad fugandam protinus febrem quantitas requiritur: ut raro minor, ac trium unciarum quantitas sufficiat; quae igitur pro epidemico febris characterem ejusdemque pertinacia, major etiam, fugatis licet paroxysmis, quotidie ita distribuenda est: ut, quo minus a febre intervallum excurrit; eo major quovis die corticis dosis, protracto sat longum in tempus remedio, propinetur. Sub his vero ab illis

abstinendum est, quae aut debilitant, aut transpirationem supprimunt, aut digestionis gravare viscera, aut nervos stimulare queant: ut quorum actio, tempore inprimis, quo febris pridem invaserat, aut, apud mulieres, menstruo, majori facilitate necdum abactam in febrem dispositionem exaltat, pristinumque revocare morbum potest, eadem tunc methodo, nisi complicationis causaeque praegressae ratio aliter deciderit, pertractandum.

Alia.

§. 42. Sed ipsa haec simplicissima febris ea est, quae, cum in quibusdam subjectis cortici refragatur; vel soli *opio*, vel ejusdem cum cortice connubio cedit; vel demum illis, quae in stomachi nervos specificè agunt, vomitorio levi, aut refractis ipecacuanhae, tartari emetici dosibus, dilecti anxieque desiderati, licet quandoque absurdi, cibi usu, ipsisque demum apud credulos amuletis, inprimis vero aeris mutatione interdum devincitur.

F. Secundariae
cura.

§. 43. Saepius vero sub majore febris pertinacia, aliud quid subest, quod vel febrem legitimam intermittentem *mentitur*, vanamque corticis actionem reddit (§. 24.);

vel complicationem sistit (§§. 29. 38.), qua non detecta, febris cum periculo praedictis remediis (§§. 40. 41.) impugnatur. Latentis hinc obstaculi investigatio urget: quod saepe in visceris cujusdam, inprimis hepatis, lienis, obstructione, scirrho, carcinomate, — interdum in acri specifico, herpetico, scabioso, ulceroso, venereo, arthritico, rheumatico, — saepe in naturalis aut consuetae evacuationis, sudoris pedum, axillarum, fluoris uterini, haemorrhoidalis suppressione; aliisque interdum latet, quae curam sibi propriam exposcunt, interdum nullam admittunt, et a cortice praepostere porrecto exasperantur.

§. 44. Si cum ipsa febre *nervosa* legitima et intermittente (§. 20.) complicatio causarum intercedere observetur (§. 29.); tunc haec ipsa primum secundum regulas infra exponendas tollenda, atque praedominantis genii ratio potissima habenda est: donec reducto ad suam simplicitatem morbo, ejusdem cura descripta methodo (§§. 40. 41. 42.) absolvi queat. Complicatae.

§. 45. Febris perniciosae intermittens, *Perniciosae simplicissimae* (§§. 31. 35.), cujuscunque

demum periodi, curandae methodus, ab illa, quae benignae conducit (§§. 39. 40. 41.) vix est diversa; nisi quod major in fugando praecipitis et periculosissimae indolis morbo, promptitudo, hinc generosior corticis, et supprimendo instanti paroxysmo non impar quantitas exigatur. A periculi vero magnitudine, et a tempore apyrexiae hujus remedii administrandi modus pendet. Si periculum urgeat: corticis peruviani non minor, quam dimidiae unciae, neque uncia una major dosis, mox primo apyrexiae, vel remissionis principio porrigenda est; post binas vero, aut, si brevior mora supersit, post singulas horas, perque totum apyrexiae tempus, binae ejusdem antidoti drachmae aegrotanti offerantur. Si deglutitio laesa fuerit: duplex tunc corticis quantitas, eodem ordine, per anum, clystere simplici prius elotam, injicitur. In utroque casu, si vel vomitu, vel per intestina citius, quam par est, cortex aufugiat: tunc opii portio sufficiens eidem aut praemittitur, aut combinanda est; nec balnea, fomentationes, cataplasmata, ex eodem cortice parata, si praepedita fuerit deglutitio, negligenda erunt. Si major virium prostratio, et extremitatum frigus jubeat:

cortex laudatus cum vino cyprino, aut generoso alio, exhibendus est.

§. 46. Nec tamen aut quaevis fortiori ^{Pernic. compl. cura.} ingressu stipata intermittens pro *perniciosa* mox tractanda (§§. 9. 18.), aut credendum erit, istius curam ubique solo cum cortice obtineri. Est nempe et sua perniciositas, non rara, *complicatio*: et nunc plethora, et sanguinis ad viscera capitis, spinae vertebralis, thoracis, abdominis, collectio major, venae-sectionem, inprimis localem, hirudines, cucurbitulas scarificatas, — nunc vero saburrae, bilisque acrioris ad primas vias stagnantis praesentia, emeticum, vel et alvum purgans medicamentum sibi exigunt, antequam sine noxa cortex possit subministrari. His solis interdum auxiliis malignitas febrium omnis disparet, et perniciosi morbi natura in mitiorem convertitur. In ipso perniciosae *complicatae* decursu, cum cortice talia subinde jungenda sunt, quae symptomatibus praecipue opulentur. In summo interim furientis morbi periculo, ne praecipuus vitam salvandi aufugiat occasio, indicationibus aliis, quam vitalibus, satisfacere non licet, et omne curationis punctum in futuro, facile lethali, febris insultu

per corticem avertendo, positum est. Nec purgantia febrifugo mixta, antequam reversurae febris periculum dissipatum fuerit, satuta sunt; devicto vero instante vitae discrimine, rhabarbarum, sal ammoniacus, cum cortice combinata, latentis saburrae noxas avertent: qua ejecta, ad corticem iterum, qua lege hoc praestandum esse dictum est (§§. 39. 40. 41. 42.), vel solum, vel si major virium debilitas id postulat, cum aromaticis, erigentibus, imprimis vero cum vino, combinatum, sed majori dosi, longiorique temporis spatio subministrandum, ne fatalis iterum paroxysmus recurrat, retrocedendum est.

Opium.

§. 47. Sed cum in ipso intermittentium paroxysmo, perparum adversus morbum praestari queat (§. 41.), et in summis perniciosa febris angustiis, sub statu aegrotantis soporoso, lethargico, et quasi conclamato, porrigendi corticis aufugerit occasio: *opii* saltem, sat magna copia porrigendi, virtus experimentis aliquot confirmata, tentari potest: donec, restitutis quodammodo aegri rebus, ad corticem venire liceat.

§. 48. Neque febris, tum simplicis, tum Cura symptomatum. perniciosae *nervosae* symptomata a curantibus negligenda sunt. Summos capitis in ipso febris, etiam vix perniciosae, ingressu urgentes dolores *opium*, nisi a sanguinis copia aut saburra pendeant, corrigit, ardoremque moderatur. Erecta capitis positio, ejusdemque denudatio, fomentatio frigida, sanguinis ad cerebrum infringunt impetum; collabescen-tem ex vera debilitate machinam, frigentes artus, cardiaca, aether vitriolicus, camphora, alcali volatile, vinum inprimis generosum et calefactum, fomentationes calidae, spirituosae, frictiones, sinapismi, vesicantia, erigunt, refocillant. Urgentes spasmos, convulsiones, dolores, cataplasmata, fomentationes, clysteres emollientes, moschus, opium, com-
pescunt; tenesnum, ischuriam aegrotis gravem, fomentatio emolliens ad anum, ad perinaeum, injectio olei cum laudano, mitigant etc. In soporosis affectibus ab odoramentis, nisi acétum concentratum forte excipiam, cavendum est.

§. 49. Febris nervosa larvata (§. 31.) Febris larvat. vel simplex, vel complicata, semel cognita, et a febre periodica, secundaria, seu illegi-


tima apprime distincta, quacunq̄ demum veste obveletur, ut febris intermittens legitima, tum simplex, tum complicata, secundum regulas (§§. 39. 40. 41. 42. 44.) expositas curatur.





G E N . I I .

FEBRIS PERIODICA INTERMITTENS LEGITIMA, GASTRICA, TUM SIMPLEX, TUM COMPLICATA .



§. 50. **V**entriculus , intestina , quocunque Ejusdem gen fortiori stimulo agitata , cor ipsum , arterias , totumque nervosum systema in consensum trahendo , febres saepe numero excitant , quae sub certis circumstantiis et periodicam assumere naturam , et febris intermittens quemcunque typum absolvere queunt . Docet hoc insignis intermittens , quo tempore saburales acutae , favente epidemico caractere copiosius grassantur , numerus ; docet febrium illarum , post crapulas , et commessationes proventus ; docet vomitus , tum spontanei , tum artificialis , atque evacuantium his in febribus non ambigua utilitas : quibus toties , non modo sine corticis aliorumque adjumento , sed

postquam illa incassum jam administrata fuerunt, solis, febris non raro profligatur.

Origo compos. §. 51. Alias saburra, pituita, bilis, et alia abdomini inclusa irritamenta, febrem quidem comitantur et exasperant; sed non faciunt: ita ut solutis ejectisque his stimulis, ipsius febris causa, evacuantibus nequaquam corrigenda, vel per ipsam naturam mutari, ejici, vel specifico, aliisque auxiliis impugnari debent, antequam febris ipsa aegrotantem deserere cernatur.

Definitio. §. 52. Utroque in casu (§§. 50. 51.) morbum talem, febrim periodicam intermittentem legitimam *gastricam*, vel ex saburris, vel cum illis, a bile, pituita, aut mole, aut qualitate irritante, vel ex alimentis indigestis, vel ex vermibus corruptis orientem, appellare licet.

Complicatio inflammator. §. 53. Quotiescunque haec irritamenta in hominem aut sanguine abundantem, aut ex causis specialibus plethora abdominali laborantem, vel irritabiliorem, sensilemque incidit: nascetur complicatio *inflammatoria*, majorem paroxysmis continuitatem sub in-

gressu febris impertiens, et pronam in ardentem, biliosam-inflammatoryamque febrim, naturam: quod verno imprimis tempore, post repetitos gulae excessus, calidaque sub methodo, frequentius contingit.

§. 54. Aestivo autem, vel autumnali Complicatio cum gastrica nervosa. tempore, post graves solis aestus, ob abundantem bilis secretionem, ob faciliorem ejusdem depravationem, ob frequentiore transpirationis, sudoris suppressionem, ob characterem epidemicum, forte ob contagia, collecta in abdomine, corruptaque colluvies, subtiliori principio in abdominis nervos agere, vel, ad secundas vias resorpta, in totum systema operari, et sic febres pertinaciores periodicae indolis, et in continuam *gastricam nervosam* pronas, neglecta excitare potest.

§. 55. Febrim periodicam intermittentem Signa gastricae I. legitimam et *gastricam* (§§. 50. 51.) produnt sequentia: constitutio anni, et subjectum saburralibus oppletionibus favens, anorexia, os amarum, anima foetens, lingua flavo, tenacique mucositate oblecta, ructus amari, nauseosi, tremor labii inferioris, oppressio, morsus vel ardor ventriculi, scretio frequens, vomitus

ritio, vomitus, capitis gravitas, vertigines, cephalaea, anxietas, oculi subflavi, diarrhoea, excrementa naturalibus foetidiora, aut verminosa, urina ex rubro flava, sitis, acidorum desiderium.

Monere hic juvat, alibique juvabit, interdum ex his signis plurima sub ingressu morbi deesse, solumque annuae constitutionis genium, et notum febrium ab aliis, evacuante methodo feliciter superatarum exitum, de febris characteribus testari: quemadmodum oris ventriculi turbæ, sub inchoante aut continuante paroxysmo observandæ, latentis saburrae signum præbent fallacissimum.

Signa gastric.
Infl.

§. 56. Si febris *gastrica* intermittens inflammatoriam indolem complicata assumpserit (§. 52.): tunc signa (§. 67.) describenda potissimum observabuntur: quæ gastricis adeo immixta sunt, ut nunc illa, nunc hæc, prædominari conspiciantur. Tempus vernum hæc complicatio sequitur; sed et aliud quodcunque, sub coelo imprimis calido, nequaquam recusat.

Signa gastric.
intensioria.

§. 57. Si major saburrae, bilisque copia, corruptio, complicationem efficiat (§. 54.)

tunc signa febris *gastricae nervosae* (§. 103.) exponenda, *per paroxysmos* occurrunt; et symptomata (§. 55.) recensita, majori intensitate sese manifestant.

§. 58. Causae hujus febris (§§. 50. 51.) Causae. illis, quae (§§. 107. 118.) proponuntur, forte mitiores, cum ignota febris intermittens causa proxima (§. 7.) saepe cohaerent.

§. 59. Cura intermittens *gastricae*, tum Cura. illius, quae aliam causam, quam saburralem vix agnoscit (§. 49.); tum alterius, quae cum hac ipsa aliam, ignotam quidem, sed in nervos potissimum agentem, et cortice ut plurimum subjugandam, conjunctam habet, in eo consistit: ut collecta in ventriculo, intestinis, materia, mole, aut qualitate aberrans, ad ejectionem praeparatur; vel si tenacitate sua non resistat: breviori via quanto-cyus e corpore expellatur. Glutinosa, viscidamque saburram mobiliorem reddunt tum decoctum resolvens (N. I.), tum potus acidiusculus, limonea tenuis, serum lactis cremore tartari, tamarindis paratum, decoctum Cichorei; tum sales medii, imprimis, nisi temperamentum siccum, magnaue sensibilitas

vetet, sal ammoniacus, pulvis resolvens (N. II.), haustus salinus (N. III.). Saburrae mobilitatem produnt mucii linguam obsidentis tenacitas imminuta, amarities, vomendique conatus aucta, bilis spontanea eructatio, diarrhoea. Brevissimam sordibus circa stomachum, hepar, collectis, viam oesophagus, — saburrae intestinali, alvus constituit; longior, ambigui exitus, taediique plena illius per inferiora subductio est; emesisque toties praefenda est, ac sine aegrotantis periculo indicata tentari potest. Hanc ciet solutio emetica (N. III.); si tamen diarrhoea jam subintraverit, ipecacuanha, aut pulvis emeticus (N. V.), praevallebunt. Vomitus ipsum tepida promovet, moderata copia nauseanti ventriculo oblata.

Emesis.

Tempus ad-
ministration.

§. 60. Proliciendi vomitus momentum brevi ante paroxysmum tempore, sufficienti tamen, ut ante novae accessionis impetum ejusdem turbae protinus jam cessaverint, opportunius est: quo non modo contenta in ventriculo et duodeno per oesophagum excutiuntur; sed et spasmus febrilis, ipseque interdum instans paroxysmus praeventitur. In ipso hujus ingressu, et quo tempore

vel media emetici quantitas sufficiat, vomitum excitare, licet a quibusdam cum fructu tentatum, ambiguum tamen est: neque sub spastico ventriculi motu, emetici actio discrimine semper immunis esse potest. Post paroxysmum alii, ob vanam internae transpirationis, cutaneae adinstar, tunc absolutae, hypothesin, emetica praeferunt; sed exhausti per paroxysmum aegrotantis debilitas, et summa quietis necessitas id saepius improbant. Interim, nisi haec obsint; emesis et post, et ante accessionem, sat tuto excitatur.

Fortioribus, minus tamen sensilibus subjectis, quo ventriculus et intestina simul evacuentur, emeto-catharcticum (N. VI.) interdum conducit.

Subinde aut tenacitas, aut copia bilis, pituitae, tanta est, quae per unicum expelli haud possit emeticum: hinc in solventibus (§. 59.) aliquamdiu continuandum, et subsistenti indicationi novo emetico satisfaciendum est.

§. 61. Vel post celebratam sic emesin, Purgantia. vel, si haec ipsa aut aperte contraindicaretur, aut necessaria non esset, sine illa, —

intestinorum quoque evacuatio remediis pro quovis subjecto facile eligendis (N. VII. VIII. IX.), et pro necessitate, interposito resolventium usu, repeti debet: donec reducta ad intermittens simplicis *nervosae* characterem febre non depuratoria (§. 29.); haec ipsa methodo (§§. 39. 40. 41. 42.) exposita debellari queat.

Post haec, superstes saepe in ore visciditas et ingratus sapor, et lingua muco oblecta, sat fidum latentis adhuc saburrae signum esse nequaquam continuant; sed non raro haec ipsius febris effectus sistunt: quos cum damno, excedente tum resolventium, tum evacuantium usu aggrediuntur varii, et hoc ipso symptomatum gastricorum apparatus, ex ventriculi debilitate oriundum, cum irritabilitate potius adaugent, febrim pertinaciorum reddunt, et aegrotantem ad obstructions et hydropem ipsum disponunt. Haec non timenda sunt a refractis ipecacuanhae dosibus, quae a grano uno, ad viginti successive adauctae (N. X.), quin vomitum excitent, febrim interdum dispellunt. Eadem de refractis tartari emetici portionibus dicenda sunt (N. XI.), quae a grano dimidio, ad integrum, brevi ante prandium cubitumve

tem.

tempore ingestae, aliquando corticis, pro pauperibus nimis pretiosi, vices agere queunt.

§. 62. In febre intermittente gastrica, Gastr. infl. cura. cum inflammatorio apparatu incedente (§. 52.), antequam ad emetica vel purgantia descendatur, oportet methodo infra (§. 71.) exponenda nimiam prius cordis, vasorumque reactionem ac tensionem partium venaesectione et antiphlogisticis compescere; febrique ad simplicem gastricam intermittentem reducta, ad regulas indicatas (§§. 59. 60. 61.) recurrere.

§. 63. Si gastrica symptomata majori Gastr. nerv. cura. cum intensitate, et cum generis nervosi majori affectione urgeant (§. 54.); tunc, seposito animali victu quovis, major emeticorum (§§. 59. 60.), pro indicatione repetendorum, offertur necessitas; quibus et resolventia, et potus acidiusculi, fructuum maturorum expressis succis remixti, serum lactis cum tamarindis coctum, et quotiescunque symptomata id indicare videntur, purgantia (§. 61.) subjungenda sunt.

§. 64. His absolutis, cum solus interdum Continuatio.

cortex debellandae feбри autumnali vix non impar esse observetur: huic ipsi utiliter sal ammoniacus, et serpentariae virginianae radix adjunguntur, et in talium usu sat longo, pro pertinaci morbo, tempore continuatur.

Reconvalesc.
ratio.

§. 65. Fractae ventriculi ac digestionis vires tum diaeta bona, et prudenti vini usu, tum aeris rusticani, motusque moderati beneficio, ac demum amarorum cum levi, gratoque aromate remixtorum delecta (N. XII. XIII.), recuperantur.



G E N. III.

FEBRIS PERIODICA INTERMITTENS LEGITIMA INFLAMMATORIA TUM SIMPLEX, TUM COMPLICATA.



§. 66. **F**ebbris intermittens, quae juvenes ir-
 ritabiles, succiplenosque homines, hieme in-
 primis ad finem vergente, vel quovis demum
 anni tempore, post evacuationes sanguinis
 naturales, assuetas, suppressas, imminutas,
 post largum spirituosorum potum, post vio-
 lentos animi, corporis motus, aggreditur, et
 cum aucta cordis, artetiarumque irritabilitate,
 et actione incedit; febris periodicae intermit-
 tentis legitimae *inflammatoriae* nomine insi-
 gnitur. Definitio.

§. 67. Invadit fortiori ut plurimum cum
 frigore; succedit rapide calor apertus, maxi-
 mus, rubent facies, oculi, cutis universa,
 vibrant fortiter, et distenduntur arteriae, in-
Symptomata.

primis carotides, temporales; caput dolore acuto detinetur: succedunt somnolentia, vigiliae, deliria; urinae flammeae, ardentes; sitis maxima, obstructa alvus; sequitur copiosus sudor; nec tamen abhinc febris jugulatur omnis; sed frequentia pulsus, plenitudo, et corporis gravitas, sitis, calor cutis, latentis ignes significant, aliquando sat magnos, ita ut apyrexiam notabilem consumant, vel brevissimam huic ipsi moram indulgeant; postquam, mox aut fortior paroxysmus, aut lenior subintrat, cum pristino insultu vix non cohaerens, saepe anticipans, prioris in modum aegrotum depascens, et fortiori utplurimum invasione, quae duplicis tertianae typum irregularem exprimit, renovandus. Atque haec, vel alternorum dierum protractis in longum paroxysmis, vel redeuntibus quotidie accessionibus, *continuae* remittentis imaginem, saepe a morbi initio, saepe post aliquem in diaeta, in medendi methodo commissum errorem, exactis jam quibusdam circuitibus, protinus assumunt; donec, vel frenato, aut sponte, aut arte, febris impetu, haec ipsa in regularem intermittentem benigne terminetur; vel aucta perverso molimine, cordis, arteriarumque reactione, in continuam inflammatoriam praecipitetur.

§. 68. Nec ipsa haec febris (§§. 66. Gastrico-inflammator. 67.) tam simplex semper incedit; quin aut locali partis cujusdam inflammatione periodice interdum progrediatur; aut, cum primarum viarum saburris confluens, gastricam complicationem (§. 53.) frequenter agnoscat, bilemque insigniter exaltet, atque ipsa per abdominalem stimulum in majora rapiatur incendia; aut denique, ob dictas alibi rationes (§. 54.) *gastricae nervosae* characterem adipiscatur.

§. 69. Febris istius causam, dicta (§. 66.) Causae. satis illustrant; sed accedit non raro ex regnante constitutione, catarrhalis, vel rheumatica irritatio, aut praeposterus chinae usus, vel latens fluidorum, solidorumque vitium: quibus feбри, alias non insidiosae, perfidior character impertitur.

§. 70. Nisi limites haec febris excedat, Cura simplic. et nisi calidorum, stragulorumque abusu exasperetur; rarum est, eandem diutius vel ipsius naturae resistere moliminibus; vel ad illas, quas *depuratorias* febres appellavimus (§. 27.), non pertinere. Si tamen vel ob nimias turbas, vel ob perversam methodum,

artis desiderentur auxilia: tunc utique venæsectiones, etiam repetitæ, atque illorum, quæ nimiam cordis, vasorumque reactionem infrigunt, necessitas summa est. Urget hæc, si febris jam *continuæ inflammatoriæ* (§. 67.) naturam prorsus assumpserit; aut eidem vicinior observetur; vel si speciali forte in viscus quoddam nobiliter insultu, periodice, et cum localis inflammationis symptomatibus vel solitariis, vel ad partem affectam tantummodo extensis, furiant: quo tempore plerumque catarrhale, rheumaticumque principium subtus latebit (§. 69.): tunc nempe tam generali venæsectioni, quam localibus depletionibus, aptisque remediis externis locus conceditur, quæ in sectione de febre *continua inflammatoria*, et in illa de *inflammationibus*, exponenda, huc sunt revocanda. Victus vegetabilis, paucus, potus copiosior, subacidus, clysteres emollientes, aer frigidiusculus atque purus, nitrum, cremor tartari, potissimam ubique opem ferunt: donec, sopito nimiae irritabilitatis impetu, ad simplicem nervosam (§. 29.), reducta febris, secundum leges eidem accommodatas (§§. 39. 40. 41. 42.) valeat fugari.

Quidquod, si perniciosarum ad instar hæc

inflammatoria intermittens cum periculo viscus periodice invadat: praemissis, pro morbi violentia, aut generali vasorum participatione, venaesectionibus; mox ad corticem, ut in illis febribus descendendum.


§. 71. Si haec ipsa febris gastrico fomiti *Complicatae.* conjuncta fuerit (§§. 56. 68.), primum quidem in venaesectione subsidium quaerendum est: quae pro majori cordis, arteriarumque reactione, vel pro affecti visceris nobilitate, abundantius, nec tamen sine omni ad latentem in abdomine saburram habita ratione, instituitur. Ejusdem effectus secundant remedia et potulenta superius (§. 70.) laudata, et illa ipsa, quae in febre *intermittente gastrica* proposita sunt, resolventia (§. 59.), in quam nempe morbus, de quo nunc agimus, conversus, emeticorum, purgantiumque ope pertractandus (§§. 59. 60. 61.); et nisi his ipsis febris fugetur: ut *simplex nervosa* (§§. 39. 40. 41. 42.) jugulanda est.





O R D O II.

FEBRIS CONTINUA.



Notio contin. §. 72. **Q**UAE febres aegrotum, quem semel prehenderunt, perpetuo detinent, donec vel in sanitatem, vel in mortem, vel alium in morbum, terminentur: illae, *continuae* medicis appellantur, et diversam a *periodicis* familiam offerunt, etsi hae ipsae, ut morborum fere omnium, sic et *continuarum*, larvam, non raro assumant (§§. 22. 33.).

Ejusdem grad. §. 73. *Continuas* cum dicimus; non certe aequalem semper morbi vigorem intelligimus: qui tum ipsa sui natura, ab *invasione* symptomata intendit: donec ad summum, quod *acmen* vocant, fastigium perveniat; ab hoc vero, citiori, lentiorique passu ad decrementum, finemque suum pertingat. Nec *continuati* itineris, viator, qui passus interdum moratur, honorem ammittit; aut febris,

quae igne non semper aequali, sed tamen nunquam extincto, deflagrat, *continua* non dici meretur. Febrim adverso in sensu continuam, quam *continentem* scholae dixerunt, nec nos quidem conspeximus unquam (§. 9.), et ardentissima quaevis inducias homini aliquas concedit.

§. 74. Has vero, quas in *periodicis intermittentibus*, ob majorem quietis evidentiam, *apyrexias*; — in *continuis*, *remissiones* appellant; a *paroxysmis* vero illarum, ingravescentis morbi impetus *exacerbationum* titulo distinguunt: quae nunc, temporis rationem aliquam observantes, *regulares*, — nunc vero *anticipantes*, *subintrantes*, *subcontinuae* (§. 33.), *retardantes*, *anomalarum* febrium nomine salutantur.

Exacerbatio,
remissio.

§. 75. Nec tamen inutile est, *continuas*, quae sensibili modo *remittunt*, ab illis, quae sine magnis induciis aegrotos premunt, distinguere; illasque *continuas remittentes*, has vero, simplici *continuae* nomine vocare; quin igitur quascunque *remittentes continuas* mox ad *periodicae intermittentis* familiam, cum eximii nominis Viris, referre, aut ab hac, illas

Continua, re-
mittens.

quae magis *continuant*, excludere liceat. Neque enim, quae *anticipant*, *remittentes*, ad illam constanter familiam spectare, neque *continentem* vix non tertianam duplicem, inflammatoriam (§. 67.) periodicarum progeniem exuere, docent saepenumero manifestae corticis, in illis porrecti noxae, et hujus, post emissum sanguinem in remittentem prius, deinde in veram *intermittentem*, hoc febrifugo facile jugulandam, transmutatio. *Remittentes* quidem febres in periodicas *intermittentes* sponte interdum abire; non *unicam* illarum ex istis originem comprobat: cum et alii, diversissimi ab *intermittentibus* morbi, non raro in has ipsas, atque *periodicae*, in illos, convertantur.

Remittent. origo periodica.

§. 76. Interim, si favente *intermittentibus* coelo aut constitutione, si, his ipsis copiose intercurrentibus, vel frequentius in periodicas conversis aliis jam observatis *acutis*, si quae signa *intermittentes* quam maxime circumdant (§. 23.); ea in *continua remittente* imprimis tali, quae *subintrans*, aut illa, quae *subcontinua* dicta est (§. 33.), et epidemice progreditur, observentur: non inanis suspicio nascitur, eandem ex tribu *periodicarum*, ad *continuarum* castra transfugisse.


§. 77. Vel legitima, vel spuria fuerit *Remittentium species.*
continua remittens (§§. 75. 76.), in primis vero in ultima; exacerbationes nunc quotidie affligunt (*amphimerina*); nunc alternis (*Tritaeophia*); nunc singulis quidem diebus; sed alternis sibi respondentibus (*hemitritaeus*) intenduntur; nunc vero, quod a nobis quidem conspectum hucusque non fuit, quarta quavis die (*Tetartophya*) repullulant. Nec tamen ideo tam diversa ex hinc *remittentis* natura redditur; ut cum veteribus, in tot genera morborum eandem dividere fas sit; nec apud hos ipsos *hemitritaeus* constantem obtinuit significatum; nec ipsis adeo lentis, tabificisque febribus ejusmodi exacerbationes deesse observantur.

§. 78. Qui *continuarum remittentiumque* *Diversitas causae.*
 differentias ex causae latentis sede definire conantur; illi has ultimas, plerumque minus occultas, in primis praecipue viis delitescere; — quo magis vero *continenti* febris accedat; eo intimius cum sanguine remixtas, supposuerunt. Sed ipsae, quae maxime remittunt, febres cachecticae, suppuratoriae, cum primarum integritate viarum saepissime incedunt; febris ipsa inflammatoria periodos in-

terdum, nec raro exacerbationes, sine ulla saburrae suspitione, experitur; et febris nervosa (§. 80.) easdem, absente abdominis vitio, nequaquam excludit.


Divisio.

§. 79. Non tamen ideo causarum febrilium natura ac sedes, in *continuarum* divisione, maximum offerre desinunt momentum; et nota illarum, distinctaque satis inter se symptomata, ad has ipsas, oculis licet occultas, concludere omnino permittunt. Quemadmodum vero de *periodicis intermittentibus* dictum est: sic et *continua* febris, vel *nervosa*, vel *gastrica*, vel *inflammatoria* dici meretur.



O R D. II. G E N. I.

FEBRIS CONTINUA NERVOSA.



§. 80. **F**ebris *continua*, quae ob causas sensibus occultas, subtiliori principio agentes, et imprimis systemati nervoso infensas, accenditur, *nervosa* nobis, aliis *maligna*, et interdum *pestilentialis*, audit.

Notio hujus febris.

§. 81. Diverso sub aspectu haec febris, *Variae spec.* nunc sporadica, nunc vero late per provincias dispersa, comperet. Effectus nunc celerissimo passu funestos edit, *pestis* symptomatibus mortales consternens, cumulatimque prostratos interimens; quod quidem vel paucorum intervallo minutorum, subitaneae mortis spectaculo; vel unius, alteriusve diei curriculo, sub *Ephemeræ malignissimæ* specie, visa est praestitisse. Alias cum intermittentium causis coire, *perniciosasque*, concessis per horas, diesque induciis, producere dixi.

mus (§. 31.). Frequentius continuitate quadam, per plures extensa dies, invadit: tuncque, vel nervorum potissimum, motuumque turbas, — vel vitalis fontem principii, sensibilitatem aequae, ac irritabilitatem adgreditur: *nervosae*, et (hypothetico prorsus vocabulo) *putridae febris* denominatione, non firmis satis rationibus, distincta. Cum nulla *continuae* causa connubium respiciens haec febris, cum *gastricis* frequentius copulatur; ipsasque *inflammatorias*, topicasque inflammationes interdum inquinat: pro multiplici, quo produci, propagari, grassari solo observatur, *navalis*, *carceralis*, *castrensis*, *nosocomialis*, eaque vel *simplex*, vel *complicata* a Scriptoribus compellata. Nec acutioris semper febris in modum incedere; sed lento, diuturnoque satis passu, ad hebdomadas extendi, atque non minus quam illa, epidemice divagari observatur.

Character generalis.

§. 32. Invadit autem haec febris sexum, aetatem, constitutionem quamcumque. Interdum certas inter animalium coeterorum species similia fere praecedunt, comitantur febrium istarum epidemias; interdum ad genus humanum strages limitatur. Vix aliorum sym-

ptoma morborum existit, quod saepe hac febre prehensos non illico circumdet; sed nunc insidias occulte struit; nunc aperte pericula minitatur, hoc solo pernoscenda, quod, vitali imprimis infestae systemati, causarum nexus deesse videatur; et sine ordine decurrant symptomata, et cum febris violentia nequaquam respondeant; quodve nervosum imprimis systema vel de majori, et in motus irregulares prona sensilitate; vel de singulari stupore et inertia participet.

§. 83. Felix inexperientia *Pestem* hic fusius a nobis describi vetat; aliorum interim observata hanc ipsam pro morbo *non uno*; sed multiplici, cum hac ipsa, de qua loquimur, febre, in summo gradu conjuncto declarare sinunt. Non quidem in omnibus, quos *Pestis* tenuit, pulsus magnitudinem febris indicavit; fueruntque plures, quibus arteriae non celerius, quam in sanitate saliebant; sed infidum febrium hae signum sistunt (§. b. c.); et in *nervosis*, naturalibus non frequentiores, sed interdum adeo pauciores pulsus esse, non infrequens docet observatio. Febris igitur, ex subitanea virium, eaque insigni protinus, dejectione, morositate,

tristitia, desperatione, anxietate praecordiorum summa, et insigni faciei a pristina, mutatione, lumborum dolore, aliisque dijudicanda. Ast neque his interdum locus fuisse; sed aegrotans, primo jam insultu, apoplectica quasi morte ereptus refertur. Alias de repente brevi, ac vehemente rigore cum caloribus alternante, morbus inchoatur; calor ipse, interna magis adurens, ad corporis superficiem celeriter evanescit, eamque frigidam, algidamque relinquit (Lypiria veterum). Pulsus nunc celerrimi, duri; nunc exilissimi, inaequales; oculi rubentes, feroces; dolores capitis gravativi, hebetudo vertiginosa, interdum cephalaea insignis; deliria; lingua siccissima ^{livida} livescens, cum siti aut nulla, aut non fallenda; dolores fugaces, momentanei, in partibus glandulosis et musculis majoribus punctorii; vomituritio inanis, aut aeruginosae bilis ejectio; respiratio anhelosa; jactatio. Sub his vero communioribus *pestis* symptomatibus, mox primis morbi diebus, aut petechiae latiores, copiosae, aut maculae purpureae, lividae, subnigrae, indolentes, aut vibices, superficiem corporis occupant, aut post celeriore fortassis interitum, a morte demum prorumpunt. Hucusque dubia
epide-

epidemiae iusurgentis natura comparet medico copiosis funeribus territo: ut pro febre *petechiali*, alia, facile declaret; donec aucto sensim regnantis morbi furore, incertis morbi vix incipientis diebus, aut *bubonum*, aut *carbuncolorum* sive *anthracum*, aut *parotidum* denique, et frequentissimae mortis apparitio, funestissimae luis communiora quidem, nec tamen absolute necessaria, prodant symptomata.

Est autem *bubo pestilens* glandularum nunc Bubo pestil. inguinalium, nunc axillarium, cervicalium, aliarum, ex genere lymphaticarum, tumor inflammatorius, profunde latens, dolensque, sensim sensimque, pro virium ratione, aut elevandus, aut mox iterum disprensus, interdum suppuratione, cum felici quidem exitu, saepius gangraena, consumendus..

Carbunculus, seu *anthrax pestilens*, tumor Carbunculus
Pest. durum, ardentem, summeque inflammatum, in quavis fere corporis externa parte propullulantem, ex pustula exigua celeriter incrementem, sistit: in cuius apice, soluta a cute epidermide, aut uno, aut pluribus in locis, papula nunc minor, nunc major, liquore flavescente, rubello, livido, tandem nigro, repleta, exsurgit: sub qua tum cutis,

tum ipsa interdum musculorum caro depascitur, emoriturque.

Parotis.

Glandularum lymphaticarum circa aures et salivalem fontem positarum, raro hujus ipsius, tumor durus, inaequalis, inflammatus, plus minus dolens, rubro, aut livido colore notatus, aut pallidus, *Parotidem* pestilentialem exhibet: quae nunc absque suppuratione inopinato evanescit; nunc suppuratur, induratur; nunc vero in gangraenam citissime transit.

Haec singula vel incipiente vix morbo in conspectum venire, vel paulo etiam tardius comparere, crisinque subinde constituisse observantur. Interim quo tempore plures cum bubonibus carbunculisque decedunt; alii sine his, eandem viam, eodem morbo extincti, legunt. In *Atheniensium* peste, et in illa, quae Europam, Asiamque sub *Marco Aurelio* devastavit, bubones, aut carbunculi nunquam, sed extremitatum gangraenae, comparebant. Neque bubones aut parotides in aliis morbis, pestem violentia non aequantibus, interdum non observantur; et anthraces frequenter, in illis praecipue vidimus, qui ob commestam animalium, morbis enectorum, carnem, in acutam febrim inciderant, minime tamen *pestilentialem*.

§. 84. Febris vero, quam, ut pesti af- Febris pestil.
 finem, *pestilentialem* vocarunt, si solam, qua
 minor est, ferociam, majoremque frequentiam
 excipiamus, cum illa (§. 83.), vel cum fe-
 bre (§§. 87. 88.) describenda, fortioribus
 symptomatibus notata, convenit; nec ulla inter
 has omnes *nervosae* species, quam ad gradum
 violentiae, ponenda est differentia. Bubonum,
 carbunculorum, parotidum in peste naturam,
 ab illa, quam in *pestilentiali febre* observant,
 constanti ratione distinguere nequimus.

§. 85. Nec *Ephemera* summe maligna EPHEMERA
maligna.
 (§. 81.), quae, saeculo sub finem vergen-
 te decimo quinto, Britanniam magnam, post-
 hinc vero insignem Europae partem devasta-
 vit, pestis nomine certe haud indigna, vel
 bubones, vel carbunculos, — sed solos *su-
 dores*, brevissimo tempore colliquantes (Elo-
 des veterum) pro potiori symptomate agno-
 vit. Haec enim *Ephemera* sudatoria, non ra-
 ro ad plures utique dies *protracta*, post hor-
 rorem, vel quasi aerae per membra decurren-
 tis sensum, calore invadens, mox continuis,
 foetidissimisque sudoribus, sub virium insi-
 gni prostratione, inquietudine, anxietate, ti-
 more, desperatione, deliquiis, internorum

aestu, vertigine, cephalaea, sopore, convulsionibus, cordis palpitationibus, pulsuque frequenti, inaequali, cutem adeo innundabat: ut primo jam die, aut quinto, aut septimo, innumeros jugulaverit. Nec similes desunt, quarum una nec inflammatoriam quidem recusavit indolem, epidemiae, in quibus, sub manifestis *nervosae* febris symptomatibus, potissimum *sudor* partem habebat: qui et ipsi adeo intermittenti feбри nonnunquam perniciosam conciliat indolem (Perniciosa Diaphoretica).

Nervosae aliae

§. 86. Ubi non *pestilentiali* quidem, sed tamen consueta, haec febris mortales invadit ferocia (§. 81.); tunc symptomata, pro subjecti, causae, et regnantis epidemiae diversitate, vel de nervorum potissimum turbis testantur; vel vitalis principii energiam quam maxime labefactatam ostendunt.

Nervosa
versatilis.

§. 87. Ac in primo quidem casu, vix a recepta morbi causa, vel post aliquos ab hac ipsa dies, aegrotus plumbeam mox artuum lassitudinem et torporem pusilanimis, morosus, tristisque persentit, suspirat, interdum lacrymatur. Vidimus tamen, qui loquaces in-

solito, et cum risu cantuque alto, citissime hoc ex morbo perierunt; alios, qui lecto tardius affixi, per plures dies erecti, et cum morbo luctantes incedebant; aut de virium jactura vix multum querebantur; horrores vagis caloribus intercurrentes, lumborum, articulationum, capitis dolores, vertigines, hebetudo, praecordiorum temporumque pulsationes, nausea, vomituritio, sudores nocturni, succedunt. Magna vero in omnibus contradictio: a motu, vel jam a sola corporis erectione, sine praegressis evacuationibus, deliquia; et arteriis licet exilibus, tardisve, aut parum citioribus, contractis, tensisque, tacita, et interdum furiosa deliria, quae, alias sub febre quam maxime conspicua, vel minime comparent; cum jactationibus, vigiliis, soporibus mixta erumpunt. Oculorum splendor imminutus; aut fulgent, unique objecto fixi inhaerent, dolent, punguntur, trahuntur bulbi; manuum tremor et concussio levis; vox acuta, vel rauca; lingua albescens, aut sicca, cum siti perpauca, vel et liquidorum aversione, aut horrore; vel denique naturalis et tremula; scretio, sputatio frequens, spumosa; urinae multae, pellucidae, aquosae, lacteae, aut denique furfuraceae; alvus nunc

tarda, nunc, cum ipsis urinis, involuntaria. Interdum violens abdominis dolor, dysuria, singultus, dysentericus fluxus, cum intestinorum gangraena. Aurium sensus, nunc obtusus, nunc acutissimus; respiratio anxiosa, suspiriosa, aut difficilis. Pulsuum sub morbi decursu variabilitas summa: ut arteriae, nunc satis plenae, atque aequales, post brevem moram exiles, vacillantes, intermittentes, sub digitis vix non evanescant. Interim sub moderato cutis calore, aut sudor copiosus, aut siccitas pergamena: cum vario exanthemate, peticulari, miliari, jam sub ipso morbi principio, aut incertis temporibus efflorescente. Aut denique periculosa e naribus, utero, renibus, intestinis, haemorrhagiae, aut vibices, lividaeque cutis maculae, aut ad inguina, axillas, bubones, ad aurem parotis, aut ad oris cavum ulcuscula foeda, nigrescentia, comparent. Interdum, praegrasso violentissimo, ad hanc vel illam corporis partem, dolore; post paucas horas, rubor, livedo, gangraena sphacelusque in conspectum prodit. In genere, vix quarta, vel septima morbi transacta die, extrema jam virium prostratio, lipothymiae frequentes, convulsio, tetanus. sudores viscidi, frigidi, anxietas ma-

gna, perdifficilis respiratio, — subinde, nec ullo sese, quod medentis attentionem feriret, manifestante symptomate, mors improvisa, scenam claudit.

Qui vero hac ex febre vel per auctam cutis, tunc mollescentis et vaporosae, transpirationem, lenesque sudores, vel per abscessus, vel modo minus patente saluti restituantur: illi per longum tempus ammissas vix recuperare queunt vires, ac mente non minus, quam corpore, diutius hebescunt, praeteritorum cum difficultate recordantur, et fatuitate quadam amicos, restitutis viribus sponte cessatura, terrent.

§. 88. Interdum nervorum turbae non principem habere locum (86.), sed sensuum motuumque magis *stupor*, quam aucta, vel mutata agilitas et directio, adesse observantur. Est interim major in parte, quae a morbi causa obsidetur, et in ipsius aegrotantis natura, quam in eo, quod morbum producit, differentia.

Nervosa stupida.

Incipit nempe et haec *febris nervosae* species cum magno virium languore, lassitudine ulcerosa, anorexia, ore sicco, vel mucoso, nausea, vomituritione, vomitu ipso, ca-

pitis gravitate, obnubilatione, temulentia, dolore; animi moerore, vel stupida ad quaevis indifferentia, horroribus, vagis ignibus intermixtis: quae singula interdum (nam et celeriori pede alias malum orditur) aegrotantem lecto per dies necdum figunt; donec aucta post paucos dies aegritudine, victas eidem manus tradat, et jam gravissimo laborare malo observetur. Pulsus hic vix suppressi, sed frequentes, et in multis sat pleni: ut pro inflammatorii signo morbi incautis facile imponat: imprimis si, quod saepius contingit, rheumatica, catarrhalia ad nares, faucesque symptomata fallaci morbum velo circumambiant. Vix antem emisso liberius sanguine, aut sano prorsus simili, aut coccineo, aut levi adeo oblecto corio, aut, quod vix a febris observatur principio, jam aliquomodo dissoluto, — vel et sponte post aliquot dies arteria concidit, mollescit, cruorisque sub digitis diffuere unda videtur. Interea manuum continuo augetur tremor, subsiliuntque hinc inde tendines, aegrotans facie ruber, genis fere lividis, soporosus, morbi gravitatem vix quidem internoscit, insomniis turbatur, et, si paucos excipiamus, delirat; aurium susurrus continui, aut gravis ad utram-

que loquelae perceptio . Ad noctem sympto-
mata manifeste satis augentur, et alternis in-
terdum diebus violentia respondent, pro *sub-*
continua periodica facile impositura . Calor non
raro naturalem vix superans, saepe manife-
ste acer, digitosque urens, siccus, cum pul-
su, tantos quidem ignes, celeritate sua ac
impetu, nequaquam accusante, interdum na-
turalibus vix frequentiori, interdum celeri,
semper vero parum certe constanti . Aliis con-
tinuus, viscidus, vapidumque spirans acetum
sudor cutem macerat, et jam primis morbi
initiis peticulae ubertim, sine hujus levami-
ne, comparent : Interea gastricorum sympto-
matum apparatus, ut primae invasionis effe-
ctus, morbique notabilis remissio disparuit;
augentur surditas, aurium tinnitus, susurrus,
aegrotis molesti, stupor; oculi rubent ac
lacrymantur, nares obturatae, quasi fumo
nigricantes, dentes sedimento viscido, labra
squamis bruneis, subnigris conspurcata; ari-
dissima, tremensque lingua, aut ore proten-
di, jussa, nequit; aut exserta, ab aegrotan-
te, rerum oblito, vix retrahitur; interdum
carni crudae simillima rubet; interdum natu-
raliter constituta madet, tenui flavescente mu-
co obliterata . Sitis saepe magna; alias nulla,

nisi vini, quod plures anxie appetunt. Cum cute sicca, diarrhoea non raro incedit. Urinae inaequales, nunc crudae et aquosae; nunc flammeae, rubescentes, nunc bruneae, crassae, furfuraceae; nunc cum nubecula in medio suspensa. Sed mox sphincterum infrangitur officium: primum quidem vesica, dein anus, olidissimas faeces dormientibus elabi sinunt; mox vero vigilantibus, insciis, similia contingunt; nec rarum est, lotii hac in febre excretionem intercipi, et aucto vesicae urinalis volumine suspendi, vel simul in se ipsos mingere aegrotantes, et retentione urinae laborare. Decubitus in dorsum, divaricatis inverecunde cruribus, devoluto ad pedes corpore fere plumbeo. Facies nunc quasi lutea, aut impuro glutine oblita; continua manuum captandis in aere objectis absentibus, vel stragulis in unum coacervandis, agitatio, fugiendi conatus impotens, et continua sub somnis musitatio; oculorum post palpebras inversio terrificata, temporum collapsus, acutique nasus, ac aurium incipiens frigus. Sed quo debilior nunc pulsus, et quo major virium vitalium dejectio est; eo magis deliria, stuporque crescunt, sudores glutinosi, foetidique augentur. Interea cum foecum liquida-

rum, olidissimarum frequenti in lectum secessu, ventris meteorismus insurgit, et sub inde singultus. Quae superficiem defoedant peticulae, aut maculae, lividiorem colorem assumunt. Nigrescentes in binis aegrotantibus manus conspeximus. Interdum sanguis copiosus, per nares, aliasque vias, dissolutus prorumpit; pulsus exilissimi, inaequales, respiratio nunc tandem difficilior, lipothymiae, gangraenae partiales ex decubitu, extremitatum frigus, convulsio, mors.

Qui vero longioris interdum morbi violentiae resistunt; illi, sub signis (§. 87.) recensitis, insensibilem in modum restituuntur, et sub vaporosis sudoribus, cutem carnesque tractabiles, molles, minusque urentes ostendunt; madeseit lingua, auriumque, surdarum licet, susurrus disparent; increscunt pulsus, mollisque unda arteriam aequali rithmo attolit. Sequuntur nunc somni placidiores, reficientes, et oblatum aegrotus cibum minus abhorret. Interdum per gangraenam, aliasque metastases, rarius post asphyxiae speciem, citior in salutem transitus observatur. Tardius vero omnes convalescunt (§. 87.).

§. 89. Frequentior his febribus abdomi-

Complicatio
gastrica.

nali cum fomite complicatio est (§. 81.): quam signa tum (§. 55.) descripta, tum albi (§. 103.) tradenda, — causarum denique, ac annuae constitutionis attenta consideratio, cavendo ne symptomata ventriculi affectio pro saburralis materiae indicio habeatur, manifestabunt.

Complicatio
inflammac.

§. 90. Cum *inflammatoriae* quidem febris symptomatibus nervosarum causae rarius combinantur; sed cum *inflammatione locali* conjungi, minime rarum est. Nec enim haec ipsa aut febrem absolute requirit aut si eandem pro comite habeat, *inflammatoriam* continuo agnoscit. Pestis ipsa utriusque exemplum rei largitur: illa enim, rarissime licet, *inflammatoriam* aperte tenuit nervosae febris naturam, sanguinisque missionibus cessit interdum. Sed haec ipsa lues, cum ejusdem vel minime particeps, et vix non febre carere videretur; carbunculorum, bubonumque manifestam, licet *malignam*, *inflammationem* ostendit. Atqui hoc ultimum *nervosae febris* cum erysipelate, phlegmoneque tam infelix connubium, in cerebri, faucium, pulmonum, ventriculi, intestinorum, hepatis, uteri, aliisque inflammationibus, — in variolis, crysi-

pelate, dysenteriis, etc. in magnis hominum, imprimis impurorum, societatibus, in castris, carceribus, navibus, xenodochiis, domibusque angustis, toties occurrit; ut, licet frequens non sit *nervosa ac inflammatoria febris*, saepe tamen illa, cum *inflammatione maligna* aegrotos pessumdet.

Inflammatoriam *nervosa* subinde naturam assumit in juvenili, plethoricoque corpore; quin hic de simulata, quam sola interdum cruoris his in subjectis abundantia inducit, malignitate sermo esse queat. Eandem interdum assumet, si cum acri rheumatico, catarthali conjuncta *nervosae* causa incedat; aut si praesenti morbo inflammatorio, aut ipsi demum inflammationi, nosocomialis superaccedat infectio: quae tamen prona in phlegmones dispositio post paucos dies disparebit, et non nisi ipso morbi principio ab expertis pro tali curari potest.

Nec tamen sibi quisquam a summis furiosisque hinc inde deliriis, capitisque doloribus, hac in febre, pro latente in encephalo inflammatione imponi sinat! Fallacitatis quamplurimum hic latet. Nec aliter cum *paraphrenitide*, *Typhode*, *Epiala*, *Assode* veterum, rem se habere observamus: quae vix

non semper ad *nervosam*, aut malignam febrem pertinent, cum abdominalium viscerum inflammatione nonnunquam conjunctam.

Nervosa lenta.

§. 91. Alia demum *febris nervosa* habetur, quae, ob tardiores ingressum, *lenta* vocatur (§. 81.), ab *acuta* vix nisi minoris vehementiae ratione, ac sua diuturnitate, distinguenda. Oritur haec, interdum epidemice, post calidam, humidamque tempestatem, in locis profunde positis, ac uliginosis. Invadit illos prae aliis, qui, sensiliori nervo instructi, pathematibus deprimentibus in longum vexantur; aut qui vino, ac nutriente satis alimento diutius privati fuerunt. Symptomata hujus febris tam mite incedunt: ut ex illorum consideratione pericula portendi nulla videantur; sed singula nervosum systema et quae ab hoc quamproxime pendent, potissimum atque ita quidem afficiunt: ut nunc major nunc minor compareat sensibilitatis ac irritabilitatis ratio; nunc vero una ex his a naturali quam maxime abluat. Ac primo quidem digestionis opus difficulter absolvi, flatus, ventriculi ardor, anorexia, et acidi corruptique liquoris eructatio, observantur. Alvus aut tardior, cum abdominis do-

lore, aut et laxa atque profusa. Solida fere flaccescunt; vertigo, occipitis dolor per orbitas oculorum quasi extensus, temporum adstrictio, dispnoea, oscitatio, palpitatio cordis, lassitudo continuo aucta, moestitia, suspiria, lacrymatio, anxietas, solitudinis amor, et summa interdum irritabilitas; calores vagi, ita ut nunc facies intensius rubeat, caeleat; mox, aspectu fere mutato, pallescat, subsideatque; nunc manus, nunc aliae partes urant, qui calores partiales levibus frequenter horroribus intersecantur. Pulsus debilis, frequens, inaequalis, aut tremulus, ac intermittens; subinde contractus atque durus. Interca aegrotantes vix nisi post sat multos dies, aut post duas adeo hebdomadas, lecto affiguntur: quod si contingat; debilitas sat magna jam observatur. ut vel stantes vel genubus innixi, vel a simplici pediluvio, deliquium animi patiantur. Ad noctem symptomata, calor, dispnoea, frequentia pulsus, augentur; vigiliae, insomnia premunt; dolores quasi rheumatici hinc illinc erumpunt, et pro pleuritide, pro rheumate facile imponunt. Urina ut plurimum pallida, serosa; aut leviter tincta, cum levi furfure fundum non attingente; aut, rarius, crassa, cum inspersa quasi farina.

Nunc novum aliquando , validumque frigus , aut levis horror accedit ; vomituritio , vomitus interdum , inprimis vero tremores generales , partiales , observantur . Calor nunc , exterius vix conspicuus , inaequalis et fugax accusatur . Pulsus interdum naturalibus saepe vix frequentiores , aut etiam tardiores ; donec ingravescente indies morbo , pericula , primum abscondita , nimis patefiant . Lingua vix nisi in medio sicca ; sitis cum oris siccitate nulla ; aut , sine hac , praemagna ; interdum deglutitio laeditur ; tinniunt aures , oculi lucis impatientes , pavores , pusillanimitas , desperatio , desipientia , ac tacita deliria , rarius furiosa , floccorum venatio . cum pulsu turbas has minime indicante , maxime variabili . Vigiliae angentur , aut oculis semiapertis , super dorso procumbentes , musitant ; quaestionibus , vel ob stupiditatem , vel ob gravem auditum , lente respondent . Nec desunt levia convulsionum vestigia , tendinum subsultus , distorsio oris , manusque unius contractio , incurvatio . Jam senescente morbo , diarrhoea aquosa , aut sudor , et cum hoc exanthema multiplex , sine ullo morbi levamine , et virium potius jactura , succedunt ; aut aphthae oris cavum undique obducunt ; Pul-

sus jamjam celeritate ac debilitate increscunt; oculorum color fere immutatus, peralbus, cornea interdum quasi collapsa, atque facies ex cinereo pallida observatur et in rugas collabitur. Sub finem morbi lethalis, sudores viscidi, frigescentes laxissimam cutem undique perfluunt, augetur sopor, lethargo vicinus, secedunt alvus, urinae; subsultus tendinum frequentiores, dispnoea magna, convulsio, vicinam mortem annunciant. Sunt, qui, diutissime hac ex febre detenti, in Phthisin tandem, febrimque hecticam praecipitantur.

Qui mortem ipsam aufugiunt, vix manifesta crisi salvantur, et dissipato post vigesimum fere diem, aut tardius aliquando, evidenti periculo, redeuntibus somno ciborumque desiderio, nec non sub repetitis sudoribus vaporosis, aut ptyalismo, aut gangraena vix foetente ad coxas, *lentissime*, — vel interdum subitanea quasi, nec intellecta *celeritate*, reconvalescunt.

Est vero et huic *febris nervosae* speciei sua cum gastricis saburris, cum inflammatoria constitutione, aut denique cum ipsa inflammatione, vel et cum rheumatica, aut catarrhali affectione, complicatio, quam signa alibi exposita (§§. 55. 81. 89. 90.) manifestabunt.

Causae febr.
nervos.

§. 92. Si febrium hucusque descriptarum (§§. 80. — 91.) humano intellectu causas attingere valeamus; licebit easdem in principio quaerere, quod praecipue in locis, quae animalium exhalationibus inquinantur, in futuros mortalium interitus praeparatur. In quo hoc principium consistat, difficulter, si unquam, eruetur; nec aer, qui eidem pro vehiculo est, hoc ipso licet quam maxime impregnatus, cognitorum beneficio instrumentorum, ab alio, insonti, diversus monstratur. *Putridam* causae istius naturam supposuerunt, qui in putrescente animalium exhalatione, illud ipsum, quod nervos invadat, quaerendum esse existimarunt; hancque opinionem videbantur *putridi* in fibram animale, ac in ipsum sanguinem effectus quodammodo confirmare. Sed principiorum sub hac corporum decompositione emanantium, in putrido non limitatur indoles; neque hujus, copiosiori vehiculo diluti, tam venenosa est qualitas: ut vel aperto in aere, sanissimum hominem, quasi fulminis ictus, lethalem in morbum prosternere queat. Ipsum adeo *alkali volatile*, odoratus nervis admotum, lipothymia correptos promptissime restituit; ac in ipsa febre nervosa (§. 88.), quam *putri-*

dam vocant cordis vires potenter attollit. Nec *putridum* tam ubique animali corpori est infensum; quin ipsa natura cuivis ex istis non parvum foetentissimae materiae receptaculum vel ipsi stomacho submiserit; ex hac ipsa, nutrientes particulas, oeconomica certe resorptione, sollicite colligat; ac, sine *putridi* submixti timore, in usus suos, physiologis vix satis perspectos, quotidie convertat. Ipsa quidem humana species, rapacium exemplo animalium, ex *putridis* alimenta non quaerit; ast vero, necessitate coacta, vel consuetudine indurata, tum carnem, tum pisces putredinem longe spirantes, absque *putridi* formidine morbi, audacter devorat. Innumerae opificum familiae vitam putridissimas inter exhalationes sanam ducunt; et foetidissimum in cruribus ulcus, per annos acerrimam fundere saniem, *nervosam* tamen febrim inducere vix observatur.

Ex his apparet: illud ipsum, quod *nervosam* febrim progenerat, non tam semper in *putrido*, quam in alio, huic ipsi facile commixto, ignoto licet, ac venenorum modo agente, principio consistere: quod *nervoso*, vitalique systemati praeprimis infensum, pro varia tum sui, tum recipientis

subjecti, regnantisque constitutionis natura, diversissimos in sensili machina effectus, nunc *excitantes*, nunc vero *deprimentes* inducat: quos illis non inepte similes quodammodo dixerunt, quos ex *Nicotianae* fumo, in hominibus eidem necdum assuetis, in nervos edi observamus.

Et revera, tantos hoc principium, corpori vix admotum, tumultus mox stomacho infert (§§. 83. 87. 88. 91.); ut vel fortiora in eodem venena majores vix suscitent. Nec major fere in istis, quam in ipso *nervosae* principio, expellendis, *emeticorum* virtus est: si, priusquam diffundatur infectio, promptissime propinentur: quo in ultimo tamen casu, *sudoriferorum* non minor in eliminando veneno efficacia observatur. Atque ex hoc quidem ad majorem ejusdem materiae subtilitatem ac volatilem naturam concludere liceret; nisi variorum morborum seminia, effectus interdum tardiores, *immutata*, exsereant; atque ipsius demum *pestis*, ac *variolarum* contagia, rebus etiam inanimatis pertinacius adhaesisse, observatio doceret.

Contagia .

Sed hic est, ubi eximii in arte viri, *contagia* ad paucissimos morbos restringere, solisque *variolis*, *morbillis*, *scabici*, ac *lui ve-*

veree concedere maluerunt. Amicae tamen umbrae pace dicamus, nos latius eheu! diffusam *contagiorum* agnoscere potestatem. Ut enim et *caninae rabiei*, et *leprae* certiora contagia hic praetereamus; quid in illis morbis veneni animalis communicationi faveret, quod in aliis populariter grassantibus non saepius favere valeat, vix perspici potest. Vegetabilium quidem, animaliumque in modum, per *semina* morbos propagari, non videtur; sed, quae sub horum decursu praeparatur, infensa vitae, *contagii* materia: haec in aliud praedispositum corpus delata, eosdem huic in solidis motus, liquidorum easdem, mysterii plenas, sed observationibus nimis confirmatas, aberrationes conciliat. Nec minor difficultas in eo est: cur rabiosi canis saliva per menses sub cute humana jacere sepulta, demum ejusdem effectus morbi, idemque, communicabile aliis, venenum valeat generare; quam quod pestis, febrisque carceralis contagia, sub certis circumstantiis praeparari, vestibisque aut aliis rebus suscepta, post non tam breve tempus, in alios transferri aequaliter possint.

Errorem hoc in judicio subrepere, ex eo quidem facillimum esse, concedimus lu-

benter: quod ex morbi *epidemic*i causa, late per populum extensa, ille, in plurimos simul, sine ullius contagiosae materiae concursu, grassari queat; est tamen praesidium in pestiferorum, — est in locorum, ubi morbi, ob contagia suspecti, vigent, — est in rerum ab aegrotantibus tractatarum sollicita fuga, positum omne; nec aliter leges a *pestis*, quam a *variolarum* contagio praeservant.

Animale igitur productum *nervosae* febris contagia sistunt; et tam in aegrotantium variorum corpore, quam in atmosphaera, plurimorum exhalationibus inquinata, favente anni constitutione, generantur. Quodsi tamen has ipsas vel *putridas* esse, vel in putridam facile abire, ex analogia concedamus; fateri tamen oportet, hoc *putridum* saepius pro *vehiculo*, et *socia* contagiis *materia*; quam pro ipso *contagio*, esse habendum. Nec effectus, in aegrotantium corpore, sub fine magis, quam sub initio morbi, conspicui, *putridam* esse aegritudinis causam, magis convincunt; aut ex alio fonte, quam putrido, explicari non possunt. Certe ex sudoris non magis, quam ex animae, ex pedum, axillarum, fonticulorumque in multis, sanissimis caeterum hominibus, foetore, ad putridam

sanguinis decompositionem concludi potest; nec omnia, quae male olent, ob *putridum* olere, asseremus. Apparens sanguinis his in morbis *dissolutio*, nec constans ubique est; nec ipsa, nec haemorrhagiae, nec exanthemata, ex alia, quam *putrida* causa pendere non possunt. Si citius, quam alia, defunctorum hoc ex morbo cadavera putrescant; hoc ipsum, si aliqualem in eodem ad futuram dissolutionem adesse dispositionem convincat; *vivos* tamen, et cum sanguine per vasa circulante, jam *imputruisse*, nequaquam inde inferre licet. Ex *peruviani* corticis virtute, magis quidem in febre (§. 88.), quam *putridam* cognominant, quam in *nervosa versatili* (§. 87.), proficua, ad *antisepticam* ejusdem agendi rationem praemature conclusum est: cum majora, quam hic cortex, antiseptica, in eodem morbo parum, aut nihil proficere, — et alia, quae *septicis* potius adnumerantur, remedia, cantharides, salesque volatiles alkalinos, quamplurimum praestitisse, observatione edocti, profiteamur.

Sed, si ex communi *contagiorum* actione, eorundem ex *putrido* ut statuamus originem, non inducamur; oportet tamen, ut pro morborum diversitate, et ipsa differat eorum-

dem natura; utque unum prae alio in certas corporis partes invehendo, propria cuius symptomata, quadam fere necessitate, inducat. Sic nervosae febris contagia, quam maxime in *sensilitatis*, ac *irritabilitatis* organa furere, ac nervorum in partes sibi subjectas imperium nunc augere, nunc deprimere, nunc vero subvertere consuescunt. Sic *morbillosum* virus tum oculis, tum faucium, narium, pulmonumque *membranae mucosae* potissimum insidiatur; ac *variolosum* acre coecitates, phthisesque ulcerosas frequenter post se relinquit.

In hoc vero singularis contagii, *nervosae* excitantis, posita est natura: quod non modo cum variis affectibus, gastricis, inflammatoriis; sed cum ipsis variolarum, morbillorumque contagiis, inflammatoriae licet indoli faventibus, facillime confluat, ac ea in partes suas abire, omnemque fere primum deponere habitum cogat. Sed et in hoc, infestum *nervosarum* contagium, variolis morbillisque ferocia antecellit: quod, cum hi morbi, quos semel mortales prehenderunt; in eos, secundo insultu, rarissime invehantur; illud ipsum, venereae luis et scabiei contagio in hoc simile, eundem frequentius multare hominem queat. Interim, qui carcerum,

infirmisque Nosodochiorum incolis opem diutius et assistentiam praestiterunt; hi facile a contagii, meticulosis potius, ac non assuefactis hominibus insidiosi, periculo quodammodo immunes vivunt: quam familiaritatem coete a contagia cum nemine contrahere solent.

Cum vero subtilioris contagii, hac in febre producenda actionem minus suspicarentur; alias longe tam dirae aegritudinis causas Medici accusarunt: quae tamen vix non omnes ad morbum magis disponere, quam eundem facere queunt. Sic ciborum animalium frequentem usum pro suspecto non amplius habebit, qui febrim nervosam apud plebem ultimam, quae vix externis carnem labris gustare consuevit, potissimum generari, ac antequam in carnivoros proceresque homines propagetur, diutius dominari animadvertet. Ex animalium, epidemico morbo enectorum carnibus malignissimas febres in miserorum familiis oriri conspeximus utique; sed aliud tunc erat, quam solius carnis ingestio, quod morbum, a gastricis bene diversum, in iisdem generaverat. Carnium, pisciumque putredine infectorum noxas, — multa exempla loquuntur; quin igitur, qui

morbis ex istis producitur, ex solo, quod putridum est, principio originem trahat, putridique mox nomen mereatur. Cerealia corrupta, quaeque alia sub gravioribus charistiis ab esurientibus malesana devorantur, maximis in civitate morbis occasionem largiuntur; sed febris, quae sub tantis calamitatibus in populos invehitur *maligna*, exhaustis eorundem corporibus saepe ex alio, quam indigesti alimenti principio, communicatur: quod in hominum, inedia, desperatione, summaque immunditie obsessorum, angustis, carceralibus, ac mephitim undique spirantibus tuguriis inclusorum societate progeniem agnoscit suam.

Si febrium nervosarum, in paludosis, uliginosisque locis proventus uberius observetur: hoc vel corruptorum simul, cum vegetabilium reliquiis insectorum, ac animalium exilium actione contingit; vel noxia paludum sub sole ardente effluvia atmosphaeram ita disponunt: ut animalia morborum contagia facilius in hac, quam in alia quavis, praeparari, aut a sociis suscipi promptius queant. Fatales interim *nervosarum* epidemias in locis montuosis siccissimisque conspeximus; ac hyberno tempore, quo, spatio

angustiori, et in aere vix unquam renovato, familiae, propter intensius frigus, una degere coguntur; contagiosae nunc simplices, nunc saburrali principio complicatae, uberrime propullulant, verasque *carcerales*, *nosocomialesque* febres sistere observantur.

Quodsi tamen febris *nervosae epidemicae* causas in contagio animali potissimum quaerendas esse nobiscum reputemus; non caeteras idcirco *sporadici* morbi origines omnino excludimus. Ipse sibi homo, sub datis circumstantiis, venenum parat: et nunc febris quaecunque neglecta, aut male curata, nunc suppressae transpirationis, necdum perspecta satis, materies, nunc acre quodcunque, ichorosum, gangraenosum, imprimis vero rheumaticum, atque catarrhale, super cerebrum, nervosque depositum, non *morbos* solum *nervorum*, tum chronicos, tum febriles atque acutos; sed, quae ab his magnopere differunt, singula etiam *nervosae febris* phaenomena producet; hujusque, ut causae, argumentum, per felicem nonnunquam metastasin, evidentissimum certe habetur.

§. 93. Ipsa jam *nervosae febris* descriptio, Prognosis. quid in eadem timendum, quamque parum

saepe sperandum sit, abunde manifestat. Principium vitae, reagensque in causam morbi naturae potentia, ab infenso animalibus veneno hic obsidetur: ut ab eadem parum saepe exspectari, nec ab arte, specifico contagii antidoto destituta, res magna promitti queat. Omne potius subsidium in contagionis fuga, legumque magis, quam medicorum auxilio, obtinetur. Cognito interim, quod perdifficile interdum est, citissime hosti, sub ipsius morbi initiis, felicia saepius arma opponuntur. Corpora laboribus, studiis, excretionibus nimis, inedia, morbis venereis, scorbuto, aliis, exhausta, cachectica, viscerumque labe, aut specifico acri devastata, — gravidae, puerperae imprimis, infantes teneri, gracilesque ac timidi maxime homines, quemadmodum suscipiendis contagiis promptiores; sic, iisdem susceptis, periculosius longe decumbunt.

Ipsa vero *nervosae febris*, cum aliis morborum causis complicatio, annuaeque constitutionis ratio, discrimina rerum nunc augent, nunc vero diminuunt. Quo major virium, sub incipiente febre prostratio, a causis sensibilibus non repetenda, — quo manifestior faciei a naturali forma aberratio; —

quo sensibilior aegrotantis anxietas et jactatio; — quo minor reficientis somni ratio, potiorumque symptomatum, delirii, ac motuum nervosorum remissio est; — quo difficilior respiratio observatur; — quo citius exanthemata prorumpunt; — quo magis glanduloso systemati metastases insidiantur; — quo citius haec disparent, vividumque, in livescentem atrumque colorem convertunt; quo magis sphincterum perit officium, vasorumque sanguinem coercentium labescere conspicimus imperium; — quo immaturius (si ephemeram excipiamus sudatoriam), sudores cutim inundant; aut quo viscidiores, frigidiores pellem sub morbi fine obducunt; quo magis interna uruntur, externa algent; — quo violentior lumbos, abdomen, caput, dolor occupat; — quo minor, et quo inordinatior cordis per arterias actio comparet; — oculi, quo magis rubent, figuntur, convinent, distorquentur, aut alter alteri minor observatur; quo siccior, asperior, nigra tremulaque magis lingua est; — vox ipsa, quo acutior, aut raucidior et extincta magis auditur; — quo manifestior in deglutiendo difficultas observatur; — eo majora febris pericula esse consuescunt. Interim non unum

hic signum; sed plura simul conjuncta, aut, quae maxime nunc in hac, nunc in illa epidemia significant, a medico sunt respicienda; nec illarum perdenda memoria est, qui hac in febre, sine ullo periculi indicio, inopinato obierunt.

Felicioris spem exitus largiuntur signa praedictis contraria; — maturior morbi cura; — symptomatum aliquis inter se nexus; — carnum, cutisque mollities, non glutinosa; — decubitus naturali vicinior; — auditus sub fine morbi gravescens; — depositio ad cutem, glandulas, sat constans, cum symptomatum levamine; — dysuria levis, cum urina non cruda, multa, sedimentosa; — sudor aequalis, vaporosus, ardorem cutis dissipans, siccitatis linguae, oris, correctio; — oculorum nitor naturalis, redeunsque, praeter omnibus somnus: sine quo, nec ulli quidem meliorum indicio fidendum est.

Complicatae febris nervosae prognosis ex concurrentium causarum natura repetenda erit. Levis, et sub fine morbi contingens, nec vires exhauriens diarrhoea, praesentem cum contagio saburram feliciter evacuat; fortior alvi fluxus aegrotum praecipitat, latentisque saepe intestinorum inflammationis,

gangraenae signum, cum singultu, aphthis, meteorismo, extremitatum frigore, dolorum cessatione, ac fallaci mentis serenitate, constituit.

§. 94. Ubi sanum alias, nec plethoricum Cura. hominem contagium morbi (§§. 80. 82. 83. 84. 87. 88. 91.) invehitur, atque latentis inflammationis, aut saburrae indicia desint: tunc sub ipso simplicissimi morbi principio, duplex indicatio insurgit: *primo*, ut virium vitae ratio habeatur; *secundo*, ut quae per salivam, ventriculo, — per aerem, pelli, admota fuerunt; citissime *emetico*, atque *sudoriferis* e corpore eliminentur.

Virium vitalium conservatio obtinetur: Virium conservatio. vel promptiori illius, quae nervosum systema circumdat, materiae rejectione: circa quam *secunda* indicatio versatur; vel excitantium, *cardiacorum*, non inani sic nominum vocatorum, — nutrientium, ac refocillantium prudenti subministratione. In genere haec febris per rigorosorem dietam, si longius excurrat; exasperatur, carnumque jura cum pane cocta, vinoque, aut ovo commixta, corruentem machinam eximie sustentant. Sub ipso febris decursu, major certe, quam sub aliis

acutis, tum gastricis, tum inflammatoriis, boni alimenti portio concedi debet; et magna *erigentium*, sub quavis forma porrectorum, virtus et efficacia. Extremitatum frigus, summaque circulationis per istas debilitas, frictionibus, et spirituosis, calidisque fomentationibus dissipantur. Nimiae evacuationes, tonicis, roborantibus, aut opiatis demum remediis, si praesens sic jubeat vitae periculum, cohibendae; animique dejectio tum vino cordiali, tum solatio quovis, et medentis aspectu sereno, moderandus est.

Emeticum.

Sed rarius mox tantum haec urgent, ut *primam* formare, vel praecedere, *secunda* non queat, debeatque indicatio. Evacuantia quidem hac in febre nec quidquam opis, sed damni quamplurimum praestare observantur; sed nisi magna id virium prohibeat imbecillitas, *emeticum*, praeter latentis materiae irritantis maturam, ac brevissima via institutam ejectionem, nervosum systema non parum excitare, cutaneam transpirationem potenter promovere, spasmosque moderare, habetur compertum. Antimonialia caeteris hic praeferenda sunt vomitoriis; si vero diarrhoeam patiatur aegrotans: ipecacuanhae radix in stomachum securius operatur.

Pera-

Peracto jam vomitu, vel, eodem ne. ^{Sudorifera.}
 quidquam indicato, aut jam nimis excedente; ad *sudoris* sat copiosam, longamque provocationem perveniendum. Quamplurimum noxae agyrtarum in manibus *sudorifera* mortalibus attulerunt; sed non minora *antiphlogisticae*, ut vocant, methodi, ad singulos nunc morbos extensae, sunt damna. Experientia sola est, quae meliorem curationis viam ostendat; nec quibus populus tam saepe abutitur, remediis, illa, si, quo oportet, loco subministrentur, effectum destituuntur. Sudor igitur, tum aliquali, nec tamen praefocante, tegumentorum augmento, tum seri lactis vinosi ac tepidi, vel infusi ex sambuco, aut scordio parati, aut denique theriacae, cum aceto communi tepidoque remixtae portione, per nycthemeri spatium, et ultra, fovendus; — interea vero, si vires id exigant, jusculum, vini que portio tepidi, porrigenda sunt: donec aegrotus, dissipato morbi sensu, levamen, susceptique eliminationem contagii jucunda perceptione significet. Sudoris excretionem secundant tum haustus salini, tum radicum angelicae, imperatoriae, serpentariae virginianae infusa; tum acetum camphoratum, (N. XIV.) aut salis volatilis alkalini, aut aetheris

vitriolici, muriatici, acetosi, portio: quae singula, pro symptomatum ratione, citius, tardiusve, ac copia indicata, porriguntur.

Haec pellendi sudoris necessitas, in *Ephemera* praepremis malignissima comparuit (§. 85.): in qua vel minima cutanei fluxus interceptio, aegrotantis mortem certissime accelerabat: cum, cognita tandem sudoriferae methodi praestantia, pars maxima correptorum, hoc ipso conservabatur: ut lecto commissos ab aura frigida sollicite custodirent; ac interea calido, sudorifero potu, fluidorum ad superficiem corporis directionem quovis modo coadjuvarent. Cessante demum sudore, calefactis aegrotantem linteis perfricare, et jusculis paulo nutritum, novis sudoribus committere conveniebat: quo nempe dirissimi, lethalisque alias morbi perfectissima sanatio obtinebatur.

Nec aliter haec methodus tum in ipsa *peste* (§. 83.), tum in *pestilentiali*, sic vocata, *febre* (§. 84.), profuisse visa est: ubi maturo satis tempore, contagii per cutem expulsio sollicite a medentibus absolvebatur.

Si morbus per sudores sic elicitos jugulari omnis non possit; vel si contagii per

cutis spiracula eliminandi auffugerit occasio; tunc transpirationis quidem nullo non morbi tempore habenda est ratio, ut et lotio, et balnea tepida, sub summo cutis spasma, utilitatem habuerint; sed sudores pellendi methodus aegritudinem exasperaret. In primo casu, ubi saburrae abdominalis sat certa nunc demum signa comparent, viresque subsistunt: leviori, nec debilitante nimis remedio, rhabarbarino, aut ex tamarindis parato, ac clystere, alvus aliquoties aperienda. Alias vero, curationem per evacuantia prorsus fugiendo, in sustinendo vitalis potentiae tenore, in spasms moderandis, ac in secundanda, quam natura intenderit, ad corporis peripheriam; vel ad glandulas externas, lymphaticas, depositione, aut metastasi, omnis versatur indicatio. Victus igitur, si morbus in longum trahatur, ut dictum est, nutriens, vinum generosum, vel panis decoctum cum vino, cinamomo, ac saccharo, partitis vicibus, atque frequenter aegrotis offeruntur. Erigitur vis vitae sinapismorum, cantharidum ope: in quorum administratione curandum, ne cutem facile exulcerent, ac ne, ob stimulum protractum, quo loco potentius irritant, gangraena inducatur.

Cortex peruv.

Corticis peruviani virtus in febre *nervosa*, nisi cum *intermittente* conjuncta, aut ex eadem orta, vel manifestas remissiones habente, aut cum stupore, ac vitalis energiae labefactione incedente (§. 88.), vix tanta esse consuevit; interim cum aromaticis, serpentaria virginiana, valeriana, cinamomo, praecipue vero cum vino, nuptum remedium, sub morbi progressu, efficaciam prodit. Arnicæ nos laudem nec multis, nec felicibus adeo experimentis extollere possumus. Alii farinam sinapis cum sero lactis vinoso commiscent, aut eandem in pulvere porrectam commendant. Spasmis, nervorumque turbis tum praedicta subsidia, tum camphora, moschus, aetherei liquores, volatile alkalinum, et similia, utiliter opponuntur. Camphoram, in dosi praemagna, nos quidem, ab aegrotis tam facile perferri non vidimus; viderunt alii. Interim sub pulsu exili, debili, atque molli, a scrupulo ad drachmam usque, non facile ultra, nisi in clystere, cum eadem ascendimus. Moschus vero sub pulsu contracto, duriusculo, et irregulari, a dimidio ad integrum scrupulo, majorique pondere, — alkali autem volatile sub pulsu tremulo, inaequali, intermittente, sed molli, cum fructu praescribetur.

Praeterea aegrotantes amplo teneantur ^{Frigus, acida.} conclavi, quo purum aerem, et multum trahere possint; neque multis vestimentis strangulandi; sed admodum levibus tantum velandi sunt. Phrenitica interdum deliria, sopores continui, erecta trunci positione, capitisque denudatione non raro dissipantur; nimiosque sudores, aegrotantium viribus funestos, exanthemata multa, aegrotantis potius morbi, quam criseos, signa, — frigidiusculo ac renovato saepius aere, nec minus summa linteorum, indusiorumque puritate, coercesimus. Nec alia potus est ratio; quem frigida, sub urenti cutis calore, cum glacie commixta, optimum constituit; aut denique illa, cui vitrioli acidum, gratiori syrupo edulcoratum, aut granatorum, Citrinique pomi succus recenter expressus, cum saccharo, superadditur. Integri adeo corporis cum glacie perfrictionem, in *peste*, febreque *maligna*, laudarunt.

Nec tamen haec ita intelligenda sunt, ^{Ne quid nimis!} ac si quavis in febris nervosae specie, sine discrimine aegrotantibus forent administranda. Quotiescunque nempe venenoso contagii afflatu, cordis, arteriarum reactio, viriumque vitalium summa, majori gradu lan-

guent et oppressa jacent: acidorum mineralium, quae fibrae irritabilitatem infringunt, actio, et illorum, quae majora cordi obstacula ponunt, caloremque vitalem dissipant, effectus, pericula longe auferent. Ipsa hinc dictitante natura, aegrotantes cordialia, tepidumque potum implorant, et ab illis, quae moderatum sudorem sustentant, ac labescentem vitalium organorum actionem erigunt, potissimum reficiuntur. Acidorum mineralium, cum alcohole dulcificatorum, elixirii vitriolici, atque sat generosus vini usus, sub hujusmodi circumstantiis, meliorem curae partem efformant.

Cum vero peruviani corticis vix laudati actionem variae hoc in morbo conditiones determinent: juvat hic monuisse, a parvis divini hujus remedii dosibus, aut nihil, aut parum posse expectari; atque diversis aegrotantibus nunc hanc, nunc aliam ejusdem praeparationem melius conducere. Nec a calore majori, aut a lingua sicca, et fere nigra, nec semper ab ipsa respirationis difficultate, potens hoc medicamentum contraindicatur; variisque aliis, aut minerali scilicet acido, aut vino, aut excitantibus, aromaticis rebus, felicissimo nexu, conjungi; tam-

que ore, quam intestino recto ingestum, aut balneorum, ac fomentationum modo applicitum, prodesse potest.

Sed ne tanti valoris medicamento frequentius medentes abuti, reticeamus! Quotiescunque nempe inflammatoriae hac in febre dispositioni (§. 95.) locus esse potest; aut cum contagii materies cum saburrali juncta est principio (§. 96.); aut cum majores spasmi, dolores, systema nervosum occupant; aut cum pulsus duriores, phrenitica deliria, aspectus teter, fulgidique oculi, pectoris angustiae, et anxietas magna, observantur; aut cum super viscus facta videtur infensa vitae depositio non gangraenosa; corticis tunc incauta administratio aegrotantem certe in pejus praecipitat, et vix nisi alio junctus remedio, imprimis si exhaurientes inducat diarrhoeas, indicari potest.

§. 95. Hucusque *venaesectionis* in nervosa febre instituendae, quod in hac, ut tali, nequaquam conveniat, non facta est mentio. Complicatae inflamm. cura. A paucis interdum sanguine hic profuso, fatalis mox virium insequitur prostratio, cordisque vix non in totum sufflaminatur potentia. Sed ob solum *putridae* nomen, innumeri

errores a medentium vulgo hac in febre commissi fuerunt: cum titulo magis hypothetico, quam ratione, et experientia adducti, venaesectionem in quavis *nervosa* omnem abhorreant. Saepius certe, quam multi contendunt, sub coelo etiam calidiori, inflammatoria constitutio cum nervosae unitur contagio; et neglecta sub ipso morbi initio venaesectio, quamcunque inanem reddere potest medelam. In juvenibus, plethoricis subjectis, saepe manifesta est mittendi sanguinis necessitas, atque venaesectio, caute quidem, et in ipsius medici praesentia, sed interdum aliquoties institui debet; licet vel apertam in hoc morbo inflammationem, tam audaci, quam si *pura* esset, venarum incisione pertractare minime queamus. *Pestis* ipsa nonnunquam venaesectionibus cessit feliciter; et tum sanguinis crasis, manifeste inflammatoria, tum pulsuum, aliorumque symptomatum, praecipue vero doloris circa ventriculum fixi, ratio, et levamen emissum cruorem mox insequens, sat satis huic operationi favent. Neglecta, his sub circumstantiis, venaesectio, abdominalium viscerum, aut pulmonum, cerebrique inflammationibus, frequenter viam sternit; et licet, quae talia febris sub fine

contingunt, non raro causam alterius utique naturae agnoscant; est tamen, ubi, et his in casibus, venaesectioni, sanguisugis, cucurbitulis scarificatis, locus utiliter esse possit; prudensque medicus nullo non tempore indicationem, consilio atque experientia formatam amplectitur.

Morbus interim venaesectione, atque methodo huic ipsi correspondente ad *simplicem nervosam* reductus, eodem, ac haec ipsa (§. 94.) modo, sumpto interim ad praegressam complicationem respectu, pertractatur; nec *cortici* hic tam mature, quam illinc, locus sine damno conceditur.

§. 66. Si cum gastricis saburris *nervosa* complicetur (§. 111.): tunc major, quam unquam, incipiente mox febre, emeticorum, — vel solutis prompte, quae educendae sunt, materiis (§. 59.), porrigendorum necessitas urget: ne scilicet, eisdem neglectis, ad omnia rebellis sub fine morbi diarrhoea, plurimaeque alia curationis nascantur obstacula. Serius interdum, praetervisum sub initio emeticum subministratur utiliter; sed frequentius virium jactura, commissum resarcire non sinit errorem; neque purgante alvum remedio, quo

Complicatae
gastr. cura.

aegrotantes facile exhauriuntur, pro vomitorio supplere licebit.

Interim, ne contagii in ventriculi nervos actio, nobis, pro *gastrico* fomite, incautis imponat, aut latens in hepate, vel stomacho inflammatio!

Sub ipsa saburrae praesentia, emeticum repetendi non raro nascitur indicatio; sed facile et his sub circumstantiis, a violento nimis remedio naturae vires dilapidantur, nervorumque turbae immense increscunt. Ejectis vero per oesophagum saburris, quod in robustis alias, voracibusque hominibus per emeto-catharcticum tentare licebit, in aliis tamarindorum pulpa et tartari cremor, vel denique refractae emeticorum doses, antimoniales, ipecacuanhae radix cum rheo permixta, ea cum cautela praescribantur, ne intestina, cum certo aegrotantis damno, ad nimias evacuationes provocentur. Saepius nos rhabarbari radicem corticis peruviani decocto infundimus, et adjecta emulsione arabica, (N. XV.) cichoreique cum rheo syrupo, sine stimulo, ac pro virium ratione, aliquoties in die, aut clystere, alvum sollicitamus: donec evanescente saburrae sat certo indicio, seposito quovis, aegrotantium viribus adverso

medicamento, ad simplicioris nunc morbi (§. 94.) tractationem perveniamus.

§. 97. Symptomatum hac in febre ur- Cura sympto-
matum.
gentium cohors, praeter illa, quae (§. 94.)
dicta fuerunt, interdum specialem, morbique
causae accommodatam medentis curam sibi
expostulat. Effrenis nempe sub incipiente
morbo vomitus, a sola contagii in ventricu- Vomitus.
lum actione pendens, tum hausta antemetico
(XVI.), tum, nisi prolecti beneficio sudoris
dissipetur, opio compescendus est. Exhau-
rientem aegrotos diarrhoeam, laudati corticis Diarrhoeae.
decoctum, extractum, cum vino rubro, ge-
neroso, et cinamomo, — vel radix colum-
bo, contrayervae, vel succus catechù, aut
alumen, vel denique lactis recenter mulsi
usus, aut theriacae, diascordii dosis, ore vel
ano ingesta, moderant. Atroces in abdomine
dolores, si visceris inflammatione vera nitant. Dolorum.
tur, venaesectione, quamvis tarda, aut hi-
rudinibus, cucurbitulis scarificatis (§. 95.),
linimento volatili, aut vesicante, doloris re-
gioni superimponendo, aut semicupio, fo-
mentatione emolliente, anodina, nec non re-
petito enematum usu, leniuntur. Si ex sor-
dibus intestino collectis ac putrescentibus

irritatio proveniat ; tamarindorum decocto ,
 rhabarbari , chinaeque tinctura aquosa , illa
 expellatur . Delirio phrenitico , vigiliis , capi-
 tisque dolori , quae a spasmo originem ha-
 bent , vinum , opiumque resistunt ; si vero a
 sanguine encephalum appellente derivare vi-
 deantur ; praeter dicta (§. 94.) , hirudines ,
 cucurbitulae ad tempora , occiput , vel post
 aures , indicantur . Haemorrhagia profusa at-
 que symptomatica , tum cortice , tum alumi-
 ne , exterius , interius adhibendis , acido mine-
 rali , frigidae commixto , fomentatione ex nive ,
 aut glacie contusa , — interdum vero tum vi-
 no , tum opio , coercenda . Sudores colliquativi ,
 tum frigidiori atmosphaerae , tum latentis sa-
 burrae evacuatione , tum acido minerali cum
 alcohole remixti , tum vino fraenantur . Dy-
 suriam moderant emulsio arabica cum leni
 opiato juncta , ac clyster similis , majori lau-
 dani dosi roboratus . Retentum in vesica lo-
 tium , quamprimum hypogastrica regio intum-
 escit , cathetere subducimus . Si ad partem
 externam metastasis , non semper certe criti-
 ca , contingat ; haec ipsa mox emollientibus ,
 tepidoque fotu , ac cataplasmate anodino , ma-
 turanda ; contenta vero abscessu materies , ci-
 tiori , quam in alio quovis , sectione , inter-

Delirii.

Haemorrhag.

Sudorum.

Dysuriae.

Retentionis
urinae.

Metastasis.

dum priusquam fluctuatio compareat, evacuari debet. Si angusti sinus ichoris praepediant effluxum; ad illorum dilatationem procedendum. Pigriorem tumoris maturationem, irritantia quidquam superimposita, fermentum panis, cepae coctae pulpa, gummi ammoniacum aceto squillitico solutum, sollicitant. Dolentem nimis metastasin opiata emollientibus superaddita demulcent. Interdum et his sub circumstantiis, venasectionem repetitam, si febris nova cum impetu magno accendatur, institui oportet. In casu gangraenae, ad corticem, tum externe, tum interne adhibendum, descendimus. Ex decubitu mortificationem praeveniunt frequens aegrotantis in aliam partem conversio, positio extra lectum, hujus mundities summa, coxarum cum frigida lotio, vel frictio cum citrino pomo in medio dissecto, vel linimentum ex albumine ovi cum spiritu vini paratum, ceratum saturni, vel tela cerata. Praesenti ex decubitu gangraenae, emollientibus, anodinis, cum opio remixtis, occurrimus; vel corticis decoctum cum laudano exterius, internumque chinae usum consulimus. Pro varia meteorismi causa nunc evacuans, nunc roborans medicamentum, nunc venaesectio et vesicans, nunc ab-

Gangraenae.

Decubitus.

Meteorismus.


dominis fomentatio emolliens; nunc vero nivis aut contusae glaciei impositio conducunt.

Aphtharum.

Aphtharum dolens ad fauces apparitio, praeter causae latentis curam, frequens ac blandum oris sibi exigit balneum; si vehemens dolor, ac phlogosis defuerit; tunc boracis, aut vitrioli albi solutio cum melle edulcorata exterius convenire observatur. Stupiditatem a morbo reliquam surdasque aures, lenia interdum evacuantia, vel sub majori debilitate, roborantia, tempusque ipsum (§. 87.) saepissime tollunt. Interdum abscessus, surditatis nunc causa, nunc effectus, diuturno materiae fluxu molestus, succedit, summamque auris puritatem, et ab acri, rodente materia custodiam requirit. Positum post aures vesicans, et injectio anodina, aut vapor aromaticus, rebellem surditatem in aliis dispellit. Reliquam curae, infusum corticis frigidum, elixir vitrioli, cibi nutrientes, equitatio, aerque purus, rusticus, constituunt.


Stupiditatis.

Surditatis et aurium abscessus.



O R D. II. G E N. II.

FEBRIS CONTINUA GASTRICA.



§. 98. **P**ARS magna morborum in ventriculo, intestinis evolvitur, et ex ingestis, quantitate, qualitate peccantibus, aut ex corruptis hoc in loco, — aut demum ex depositis in hunc ipsum stimulantibus materiis, frequentissima febrium progenies habetur (§. 50.).

Gastricarum generis.

§. 99. Has febres, vel per se periodicas, vel intermittens principio junctas (§. 51.) vel denique continuitate non semper aequali hominem invadentes, *gastricas*, et pro varia latentis causae ratione (§. 98.) *biliosas*, *saburrales*, *pituitosas*, *verminosas*, appellamus: quarum multiplex iterum cum aliis affectibus complicatio, et nunc sporadica, nunc epidemica esse natura consuevit.

Notio.

§. 100. Gastrica, biliosaque febris, cum aestate calidiori ut plurimum frequentius ince-

Gastricae et bilios. symptomata.

dit; sed nullo non tempore praesens, et in regionibus paludosis vix non endemica, aliarum febrium in modum cum horripilatione caloribus intercurrente ac brevi, lassitudine, capitis, dorsi, lumborum, artuum gravitate, dolore quasi rheumatico, incipit. Facies interea pallet, oculique flavescunt. Sed inprimis ventriculus sensu morbi sibi proprio laborare, languere, ac ejusdem inflatio, tensio, oppressio, cum anorexia, ciborum aversione, horrore, nausea, vomituratione, flatuum male olentium, materiae acidae, acido-austerae, tenacis, biliosae eructatione, aut vomitu, observantur. Hunc ventriculi statum citius, tardiusve oris conditio manifestat: quod, animam spirans ingratam, foetentem, cum lingua obducitur tenaci albidoque aut flavescente muco: cum sapore singulorum aut nullo, aut ingrato, aut amaro. Interea et abdominis turbae frequenter succedunt, flatusque intestinis divagantes (borborygmi) hypochondria, ventrem tendunt, attollunt, plenitudinis, gravitatis sensu, doloribus vagis, recurrentibus, cum ipsius alvi obstructione, vel fluxu bilioso, foetidiori, spumoso, divexant.

Atque sub tali rerum statu, plures interdum

terdum dies extra lectum teruntur: post quos, praevio horrore non magno, nec diurno, subinde nullo, calor, sitis, vertigo, cephalalgia increscunt; pulsus, hinc inde intermittens, continuo frequentior, symptomata ad ventriculum, cum plurimo ad vomendum nisu, et ad abdomen, augentur; facies magis nunc rubet, ad latera nasi pallet, virescit; inferius labium tremit, oculique lacrymis fere innatantes fulgent; deliria, vigiliae, aut sopor; frequentior, difficilisque respiratio, saepius cum tussi, nunc sicca, nunc humida, dolor pectoris, scapulae, faucium, rheumatico similis, saepeque apparens virium prostratio magna comparent.

Post tres, pluresve dies, symptomatum quaedam matutinis horis remissio, sudorque levis ad frontem, pectus, observantur. Lingua nunc mucosa magisque flava; nunc in medio sicca, bruneique coloris; urina, cum ardore interdum excreta, profundius flavet, aut jumentosa, aut cum sedimento fere roseo, aut furfuraceo, comparet. Ad noctem, praevio nonnunquam levi horrore, singula exasperantur: cutis aspera, sicca, vehementer ardet, flavoque nonnunquam colore suffunditur. Vigiliae, inquietudo, deliria aegrotum

magis magisque vexant; nares hinc inde cruorem stillant funduntque flavescenti sero innatantem.

Nunc, morbo per horas ingravescente, matutinae vix non disparent remissionis vestigia; stomachi, hepatisque regio tenditur magis, ac dolet; anxietas, calor, sitis, cephalaea, insigniter crescunt; deliria vix non continua urgent; siccantur fauces, et lingua viscidissimo mucro oblita, bruneum, livescens, ac fere nigrum colorem adeptam, fragilem vix non duritiem assumit, et finditur, loquela inepta. Oculi nunc intense rubent, auditus obtunditur, ac tempora fortiter pulsant. Arteriae, vix plenae, sed contractae, celeriter moventur; urinae paucae, crassiores, foetidaeque, nesciente aegroto, cum alvo liquidiori, virescente, aeruginosa, vel brunea,OLIDISSIMA, deponuntur. Interea venter inflatur, resonatque percussus; arescit cutis, aut sudore viscidissimo inundatur, variorum exanthematum palude.

Quodsi nunc morbus, aut neglectus, aut male curatus, aut ob peculiare aegrotantis circumstantias, lethalem in exitum ruat; sequuntur signa, quae *nervosam* febrim, tum simplicem (§§. 87. 88.) tum complicatam

(§. 103.) comitari, summamque vitalis energiae dejectionem testari consuescunt.

Si vero, tum naturae, tum artis auxilio, vehementiae morbi aegrotus resistat; tunc, vel incipiente jam febre, vel tardius, copiosa vel ore, vel ano rejecta materia, aliquando sat moderata per alvum cutimque excretionem, sensibilior iterum, longiorque insequitur exacerbationis remissio; madescit lingua, et mucus, quo, tenacissimo et fere in vaginam exsiccato, obvelabatur, in mollem solutamque gelatinam eliquari, vel, apice jam laete rubente, in squamas molles ad latera separari observatur. Interdum promptissima hac in parte mutatio succedit; et, quod vix non lignea duritie palato haerebat viscus: illud, post brevis somni, nunc tandem redeuntis, inducias, citissime mollescit, blandoque vapore irroratur. Atque nunc fere haec febris, ex qua forte clandestine confluerat, in *periodicam intermittentem* frequenter transit; aut redeunte per dies adhuc aliquos tardiori mitiorique exacerbatione, hanc ipsam, et morbum sudor aequalis, vaporosus claudit; urinae sedimentum ex albido rubrum copiose deponunt; atque alvus ipsa, vel minime sollicitata, pultacea multa excernit.

Pituitosa febr.

§. 101. Aliquando non tam *bilis* aut *sordium*, quam *pituitae* hac in febre apparatus observatur: quae scilicet tenacissima, et in filios ductilis, stomachum, intestina, ipsumque oris cavum oblinat. Succedere id solet sub humida tum autumnii, tum veris constitutione, apud cachecticos ut plurimum, et laxos, debilesque homines; vel apud illos, qui alimento crudiori, viscoso, sub corporis motu pauciori, avidius vescuntur.

Lentior hic morbi ingressus observatur. Surgentibus a somno, parum quidem refectis, lassis, et morosis, fauces orisque cavum pituita obducta sunt; ructus inodori, copiosi, mucosaeque colluvies ex oesophago cum nausea propullulant; cibos vix appetunt; nec tamen iisdem protinus abstinent; post pastum, quasi indigestione laborantes, pigriores, somnolenti, plenitudinem, flatum, ventrisque obstructionem accusant. Urinae subjugales, aut crudae, cum pauca siti, et pulsu lento, debilique, interdum pleno ac subduro observantur. Succedunt horripilationes caloresque vagi, cum sudoribus parvis, aut cute sicca et squallida. Capitis gravitas fere plumbea, aurium tinnitus, susurri, stupiditas. Tanta vero interdum ventriculo, intestinis

mucositas agglutinatur : ut obducto bilis canale , ac praepedito ejusdem in duodenum effluxu , icterus generetur . A flatibus , tubique intestinalis inertia abdomen intumescit et a tactu dolet . Materiae , ranarum spermatis fere similis , nunc insipidae , nunc acidae , nunc simul amarae , per vomitum hinc inde rejiciuntur . In aliis , fauces catarrhali affectu rubentes dolent . Post singularem stomachi oppressionem , et anxietatem , singultus , et impedita deglutitio ; post paucos vero dies copiosae ex faucibus aphthae ascendere et oris cavum defoedare observantur : quas aphthas , post horas non multas , abstersas , post alias iterum copiose repullulasse conspeximus . Alios spirandi quaedam difficultas ac tussis , primum sicca , deinde tenacissimae pituitae copiam propellens , vexat .

Hucusque , nisi et major virium prostratio , et artuum dolores ad noctem increscentes , et sudatiunculae , latensque ad cutem ignis , vel immature saepius erumpens exanthema eandem docerent , vix *febrim* morbum diceretis ; jam vero haec ipsa sat manifeste alternis fere diebus , aut ad singulas noctes , exasperatur : donec dispersa fere omni symptomatum remissione , vertigines , vigiliae ,

aut stupor et coma, deliria, et potissima tum vix descriptae speciei (§. 100.), tum alterius (§§. 87. 88.), et *gastricae* demum *nervosae* (§. 103.) phaenomena, cum syncope frequenti, cum pertinaci, viresque omnes profligante diarrhoea, in conspectum prodeant.

Febris vermin. §. 102. Alias, praeter allata febrium istarum (§§. 100. 101.) symptomata, copiosa vermium, nunc vivorum, nunc vero mortuorum aut semiputridorum, tum ore, tum ano rejectio simul observatur, et, praeter singularem oris foetorem, plurima his propria irritationis phaenomena, puritus narium, dolores vagi, lancinantes artuum, abdominis meteorismus, tremor, convulsio, pavores, aphonia, ptyalismus, deliria, animi deliquia, vomitus, tenesmus, et putrescentis mucii copiosa per alvum excretio, succedunt.

Gastrico nerv. §. 103. Vel ob neglectam bilis, saburrae, pituitae, verminosae materiae, febrem gastricam generantis, aut concomitantis ejectionem, aliosque diaetae, curationis errores, vel ob majorem illarum corruptionem, nascitur, ut plurimum jam provento morbo, vel, si con-

tagium simul accesserit, mox primo ejusdem principio, febris, cui, praeter symptomata hucusque exposita (§§. 100. 101. 102.) singula nervosae, superius (§§. 87. 88.) descriptae phaenomena accedunt. Frequentius longe, quam continua nervosa *simplex*, haec febris, nobis *gastrico-nervosa*, aliis *gastrico-putrida* vocata, occurrit; autumno, hiemeque epidemico more frequenter divagatur, veramque carceralis, nosocomialis cum saburris complicationem (§. 89.) praesentat.

Nunc vero haec febris lentiori passu, nunc ex improvise quasi hominem adoritur. In primo casu, signa prodroma fere cum illis, quae (§§. 87. 88. 100. 101.) descripta sunt, convenire cernuntur, ac lassitudo, morositas, somnolentia, vigiliae, horripilatio, oris viscositas, amaror, stomachi oppressio, ciborum fastidium, nausea, ructus nidorosi, vomituritio, vomitus amarissimae et aeruginosae bilis, lumborum capitisque dolor, vertigines, imminentem morbum praesagiunt. In secundo casu, hic ipse mox incipit symptomatibus, quae prodroma illinc signa nunc insequuntur.

Horror scilicet ultra horam saepe extensus, per vices recurrens, multos, non omnes

tamen, invadit; sequitur mox calor, in pluribus, mordax, ad noctem continuo augendus. Interdum furiosa mox aegrotantem tenent deliria. Matutino tempore levis et imperfecta symptomatum remissio observatur; in aliis nulla. Arteriae nunc debiles et obscurae, frequentia vix notabiles; interdum initio plenae, ac duriusculae, post paucos dies sponte sua collapsurae. Amarities oris et nausea summa, tumentis oppressio ventriculi, qui ab attactu, et ab ipso fere stragulorum pondere sat acute saepius dolet. Ad vespertas denuo nova symptomatum, hemitritaei interdum decursui respondens, exasperatio. Interea oculorum flavedo, rubor, cephalaea, vigiliae, pavores, anxietas, animae foetor, ac deliria augentur; sitis, acidorum imprimis, vehemens, interdum pauca; urina, sub accessionibus, brunea, crassa, turbida et foetens; sub remissione aquosa et cruda; alvus ut plurimum obstructa, vel liquida, terribilimum odorem spargens. Sudores quandoque abundantes; sed viscosi, et inutiles. Lingua jam tremula, viscosa bruneique coloris materia, cum dentibus, ultra quos vix porrigi potest, labrisque undique obducta; vel scabra, et fere nigra, siccissimum, ligneum-

que in ore conum refert. Nares siccissimae camino vix non similes et obstructae; respiratio difficilis et suspiriosa; aurium molestissimus susurrus et surditas; stupor continuo increscens et coma vigil. Subinde sanguis per nares copiosus ruit, aut per urinae, faecum vias, fluidus, conglumatus, praecedente ad pubem dolore, excernitur. Subinde et nunc viscidissima et aeruginosa bilis in copia magna evomitur: cum quo fere morbus convenit, qui haemorrhagiis magnis, nigrescentis bilis vomitu, et flavo cutis colore stipatur, *febrisque flavae Americanorum*, aut *Siamensis* morbi nomine venit. Alvus sensim apud vix non omnes liquidior, viridescens, brunea, spumosa, foetentissima; neque hujus, neque urinae continendae aut penitus expellendae potentia superest. Si tamen de salutis statu aegrotantem interrogemus, *se bene valere* respondet, suosque, quos absentes credit, adire conatur; aut floccos muscasque infelix capit; aut soporosus secum taciteque musitat; aut furiose interdum delirat. Atque nunc fere est, ubi pulsus, vix tantum hucusque citati, frequentiores et exiles redduntur; et ubi *meteorismus* comparet: quem vel *saburralem*, vel *inflammatorium*, vel *gangrae-*

nosum esse, per sua cuiusvis propria signa eruetur. Coeterum et manuum tremor, et subsultus tendinum, et comatosus sopor, cum magna carotidum pulsatione, continuo nunc vexant; respiratio difficilior, vox rauca, et tremula, aut nulla, et saepe, ob fauces quasi erysipelate rubentes, nunc ob summam pituitae hic collectae tenacitatem, alias ob maximam ariditatem, aut ob aliquam in oesophago paresin, aut denique ob latentes in eodem aphthas, aliquod sub deglutiendo obstaculum. Facies pallida, impura, cum genis fere lividis, aut bruneis. Interea tum prius, tum hocce morbi stadio, frequentissima ad cutem exanthemata, petechialia, miliaria tum alba, tum rubra, cum illis interdum mixta, vel et vibices et maculae, rarius vero ad aurem parotis, aut sat frequenter in his ipsis abscescus, comparet.

Tandem, sub lethali febris exitu, meteorismus, praesente licet diarrhoea colliquativa, augetur; faeces cadaverosum foetorem spirant; accedit singultus; frigescunt extremitates, sudorque viscidus, frigidusque profunditur; pulsus celerrimi, et vix sensibiles, intermittentes; sopor lethargicus, lipothymiae, convulsio, mors ipsa, succedunt.

§. 104. Cum recensitis hucusque (§§. 100 — 103.) febribus complicatur frequenter, quod et cum periodicis *intermittentibus* (§§. 30. 46. 50. 68.), et *nervosis* continuis interdum contingere dictum est (§. 90.), *inflammatoria dispositio*: qua quidem unione *febris ardens* (*causus*) veteribus dicta, resultat. Sed et cujusvis partis aut visceris *inflammatio*, imprimis *erysipelatosæ*, saburræli vitio accedit, eidemque dominatur; aut vincitur ipsa.

Gastrica inflammatio.

Signa, quae hanc complicationem circumdant, cum illis, quae (§§. 67. 68. 90.) enumerata fuerunt, et quae febri inflammatoriae (§. 116.), aut ipsis demum inflammationibus sunt propria, conveniunt.

Horror nempe ab invasione ut plurimum major, pulsus plenus, fortis, frequens; facies, oculi rubent; cephalæa, vertigo, deliria, ardor, sitis, fortiora; respiratio celerior, difficilis, anxia; dolores fixi, pulsatio; sanguinis educti, vel per nares ruentis, densius et *corio* obtectum coagulum; pertinacior alvi obstructio; urinae flammeae ac fere rubentes; majorque symptomatum continuatio.

§. 105. Nec rarum est, *gastricae febris* Febris gastricae extensio.

causas et effectus, cum aliis longe morbis, et laesionibus, sub annuae constitutionis favore, consociari. Sic ut diversissimas inter se affectiones, exanthemata imprimis varia, ipsasque externi corporis injurias, frequenter in partes violenter ducant trahantque suas.

Ephemera gastrica.

§. 106. Sed et hoc ex continuarum genere, *Ephemera* tum *simplex*, tum *protracta*, non excluditur, ubi febris causae tam mites sunt, vel ex corpore tam prompte eliminantur: ut vel unius nycthemeri, vel paucarum dierum spatio, illa, sine ullo rerum discrimine, vel ipsius naturae, vel artis auxilio cedant.

Causae.

§. 107. Gastricarum causae jam ex ipsa morbi denominatione satis elucent; nec tamen ideo vel tam *manifestae* semper sunt illae, et ubique tam *significans* bilis rejectio est: ut gravissimi hoc in judicio errores tam facile evitentur.

Bilis.

Nunc scilicet quamplura ex dictis symptomata, morbi sub exordio, deesse possunt; quin ideo minus in *bilis* copia et perversione sit posita febris natura; nunc vero singula turgentis phoenomena *bilis* aegrotantem vexare

videntur: quae pro alterius longe, quam pro *biliosi* morbi sobole habenda forent. Ipsum quidem, ex omnibus maximum viscus, hepar, copiosae secretionis capax, et bilis, sub aucto aetatis, febrisque calore, pronissimum in stagnationem ac corruptionem fluidum est: quod, vel in jecinoris substantia et cystide, vel in tubo alimentari accumulatum, vel copia vel qualitate peccans, insignes utique stimulos excitare potest; sed tanta interdum biliosi humoris rejicitur copia: ut eundem, priusquam ad vomitum excitaremur, in fellea cystide, vel intestinis, ut febris causam, praeeexistisse, tum sola jam ratio, tum experimenta in sanissimis caeterum hominibus instituta refellant: qui, cum inassueti vel curru, vel navi agitantur; aut, si ad solam feminam respiciamus, cum utero conceperit, non minorem *bilis* copiam ex ore regurgitant: ex qua certe ad *biliosam* vomitus causam, prudens nemo concludet.

Nec validius ex mutato *bilis* colore ad tam insignem ejusdem corruptelam argumentum duci potest: si vel ex sola acidorum cum felle miscela, vel jam ab ipso pathemate animi, a dentitionis labore, et a causis vix citatis, non plurima tantum, sed *aeriu-*

ginosa protinus, ac *herbacea bilis* excernatur.

Ex his certe concludere fas erit: copiosum *bilis* in febre aliisque affectibus secessum, saepe non tam morbi *causam*, quam effectum, — tantique phoenomeni originem profundius interdum sepultam latere; quam ut ejusdem ex matula iudicium elicere semper queamus.

Nec juvat ex *materia bilis* in febricitaturi hominis sanguine collecta, tam insignem felis derivare excretionem: quae ejusdem in sanis phoenomeni rationem reddere non possit; et tam morbosam congestionem, vel in utrisque, vel in nullo, supponi oporteret.

Atqui sic res omnino constituta videtur. Quin ad morbosam salis in cruore abundantiam concludamus; salsissimas oculus a dolore provocatus in promptu habet perque dies plorat lacrymas: neque tam saepe ab humorum, quam a secernentis organi vitio aut actione intensiori, secreti copia liquoris et natura pendet. Cachecticus, aut subflavus multorum, priusquam febricitent, color, certe nec majorem in sanguine *polycholiam* probat; nec copiosa in venis apud *ictericos* bilis, aut febrem gastricam, aut oris tam frequentem amarorem inducit.

Hinc non tam saepe, quam supponitur, febrium istarum causa in *bile* est; et, si major in iis emeticorum ac evacuantium virtus contrarium indicare videatur; non tam unam emeticorum actionem esse (§. 94.), et interdum causae agentis *effectum*, non steriliorrem hac ipsa malorum matrem fieri, cogitandum erit.

Quaecunque hinc fellis in hepate secretionem potentius augere, ac cum aliqua constantia hoc ad viscus humores praecipitare queunt; haec morbi cum *bilioso* apparatu incedentis naturam determinare valebunt; eruntque illa, quae, favente anni genio, jecur ipsum moderate stimulant: violenta pathemata, fortior inprimis ira; suppressae transpirationis infensum abdomini et producendae cholerae, diarrhoeae, aptissimum acre, rheumaticum inprimis principium, contagia, vel alius quicumque stimulus hepatico systemati admotus: quo certe sensu, vel sola jam drastica copiosam *bilis* secretionem proliciunt, et ex sanissimo ventre morbosam bilem expellunt.

Frequenter vero primarum sordes *via Saburrae*.
rum, indigestas ciborum reliquias, putrefactos vermes, non minorem, ac ipsa bilis so-

let, corruptionem inire, febribusque esse pro incendio, ditissimus istarum a comessionibus ac crapulis proventus testatur. Nec tamen carnum nos magis, quam alimenti cujusvis alterius a ventriculo male subacti materiam pro potiori *saburralium* causa habendam esse opinamur: cum, inito singulorum his ex febribus decumbentium calculo, pars maxima istorum, non animali certe, qui miserorum mensas fugit; sed crudiori longe victu, digestionis officinam inquinasse observetur (§. 92.). Quae ob suam cum nobis analogiam subiguntur citius prompteque solvuntur alimenta, ea nisi copia excedant, minori corruptionis in abdomine periculo ingeruntur; et multa, quae a Scriptoribus contra frequentioꝛem carnis in sanitate usum prolata fuere, ex praeconcepta mentis circa sanguinis hac in febre *putredinem* opinione derivanda sunt. Major longe apud *nostrates*, quam apud plurimos septentrionales populos carnum consumptio; — nec tamen ideo, sub coelo licet calidiori, major *gastricarum* proventus a nobis observatur. Pauperes, vix non ubique ad olera et legumina damnati, frequentissimam nihilominus gastricorum segètem morborum offerunt. Fructuum horreorum, licet sanissimorum,

morum, defectum, constitutionis ut plurimum ejusdem, quae morborum popularium generationi favet, *effectum* magis, quam *biliosarum* causam sistere censemus; et si aestivo hae magis, quam alio tempore occurrant: oportet hoc ex debiliore sub urente sydere ciborum subactione, multasque intestinorum affectiones ex frequentiore tunc sudorum suppressione potissimum derivare. Nec enim major atmosphaerae *calor*, quod hucusque contendebatur, gastricarum adeo biliosarumque febrium genesi favere videtur; nisi quod in humidis paludosisque locis nervorum imperio ac stomachi quamplurimum detrahatur tenori, sudorque hic frequentius, quam frigidiori sub coelo supprimatur. Hinc medicinam utrobique exercentes, invenimus, quod prius non sic se habere apparebat, febres fere omnes frequentius sub calidiori, quam sub frigida atmosphaera, de indole *inflammatoria* participare; et quamvis ubique *febris inflammatoria*, quae *pura* sit, sat raro epidemice grassetur; frequentiore tamen apud nos, quam sub sole minus urente, et ipsa adeo aestate, venaesectionibus, in febre tum *intermittente*, tum *continua*, locum concedi.

Pituitam abundantem abdomine colligunt *Pituita*.

laxioris fibrae, cachectici, vitaeque desidis, otiosae, homines (§. 101.), et plurima sunt certe illius incommoda, ex mechanica hujus glutinis adhaesione, et ex ejusdem in *acidissimam* primum, dein vero in *putridissimam* colluviem conversione, facile interpretanda; sed quae *pituitosa* vocatur *febris* ac epidemico more grassatur: illam a causa tam quotidiana tamque paucis hominibus propria repetere nequimus. Quae vero morbosam in hepate secretionem sollicitant; ea, si ad mucosam ventriculi, intestinorum membranam divertantur, *pituitae* hinc non minus, quam *bilis* illinc uberrimum fontem constituunt. Non viscidioris mox sanguinis, pituita in febribus argumentum praebet; sed pro vitiatae potius secretionis, quam pro *cachexiae acutae* effectu, habenda est. Jam a sola intestinorum per vermes irritatione, copiosus tenaxque circa illos colligitur mucus; nariumque ac faucium, urethrae, a quovis stimulo affectarum exempla, similia effantur. Superficierum secernentium fortior irritatio, *coagulabilis lymphae*, — mitior vero, pituitae densioris transudationem, quin talium morbosa in sanguine subsistant seminia, excitat. Sub ipsa *febre pituitosa*, non in primis modo viis, sed

vix non ubique, tenacissimi glutinis detegitur copia: ex quo clarum fit, specificum fere stimulum per totam aegrotantis machinam exhalantium actionem hic immutasse. Major hujus causae in mucosas intestinorum cryptas, quam in aliam superficiem, impetus hic esse observatur; sed ex consensu ventriculi in dissitas partes, hunc stimulum propagari videmus: exemplo linguae, a quavis mox stomachi affectione densissima pituita obductae, et illo pulmonum, qui sub ferina tusse, ex ventriculo tam saepe derivanda, viscidissimo, ac piscium fere collae non absimili muco obruuntur. Ipse quidem sanguis hac in febre eductus, gelatina obductus comparet; sed omnia satis ostendunt, non veram huic phoenomeno inflammationem pro causa subesse. Forsitan non vana hujus morbi denominatio foret, si *catarrhum universalem, cum gastricae, nervosaeque symptomatibus*, eundem diceremus; et certe transpirabilis retenta — aut catarthalis, rheumatica materies, quemadmodum nares, fauces, tracheam, ac pulmones *mucosae febris* subjugant: sic et pituitae ad intestina secretionem ultra modum sollicitare frequenter observantur.

Sed potissima hic iterum *contagii* habent. Contagium.

da est consideratio: quod tum *gastricam nervosam* (§. 92.), tum *pituitosam febrim* saepissime comitatur, et sua in fibram muscularem, et vasa, nervosque actione, humorum naturam ac indolem promptissime pervertit.

Inflammatoriae complicationis rationem hic reddunt subjecti ipsius, praecedentium causarum, ac temporis constitutio, nec non eorum, quae tum in primas vias, tum in cordis arteriarumque potentiam, contrarium fere in sensum, agunt, conspiratio.

Prognosis.

§. 108. Gastricarum, sine contagio, viscerumque aut humorum latente vitio, incendium, si a morbi principio rectius pertractentur, non tam insignia quidem pericula sunt; et licet interdum *malignitatis* sub specie medentes affinesque terreant; prudenti tamen consilio felicem saepissime exitum adipiscuntur. In hoc vero morborum genere *crisis* in manu medici, non in *expectatione* est posita: quae innumeros, sub vanae cunctationis, ac simplicitatis in medendo titulo, jugulavit. Solvitur nempe haec febris per vomitum, ac diarrhoeam, restituto sub morbi fine sat abundanti sudore, et comparente in urinis lateritio aut subflavo sedimento.

Frequenter vero celebrata in tempore emesis furientem jam in viscera aegritudinem exemplo suffocat. Raro exanthemata in biliosis, saburralibus, *crisin* constituere observantur. Quo vero evidentior in gastricis remissio; eo major salutis spes; et si exacerbationes cum horrore inchoentur; eo probabilior ex intermittentium familia origo reduntat. Quo citius hic sudores, exanthemata comparent, expelluntur, et quo minus prompte evacuationes emeticis purgantibusque respondent; eo longior morbus, aut facilior ejusdem in nervosam complicatam transitus observatur.

Ut plurimum lentior *pituitosae* decursus, et curatio taediosior, difficilior, magisque incerta existit. Spontaneus ab initio vomitus, et hunc insequens sudor aequalis, vaporosus, promptiorem salutem promittunt. Rarius vero per unicum haec febris *crisin* judicatur. Interdum tam miliaria alba, quam aphthae copiosae, labiorumque ulcuscula, et salivatio abundans, post praegressas evacuationes, cum levamine comparent. Levior quidem diarrhoea hic utilis; sed fortior alvi fluxus lethalis esse consuevit.

Summa vero *gastricam nervosam*, et eam quae contagio natales suos debet, pericula

interdum citissima, alias ad tres, quatuorve, aut plures hebdomadas extensa, premunt. Crisis hac in febre vix ullum a natura tempus est constitutum. Coeterum vix non singula prognosis de *nervosa* (§. 93.) latae momenta hic locum inveniunt.

Majori discrimine tenentur, qui *gastrica inflammatoria*, quam qui simplici biliosa, vel saburrali febre laborant. Frequens sub illa, latensque viscerum inflammatio, hujusque in hydropem acutum, aut in gangraenam exitus conspicitur. Facilior hac in febre per metastases et abscessus ad salutem via est: sed et funestae depositionis exempla non raro medentibus offeruntur.

Cura febris biliosae ac saburralis.

§. 109. Febris *gastricae continuae* cura, sub morbi principio, fere cum illa intermittens, quae ex eadem tribu est (§§ 59. 60.), si majorem promptioris auxilii necessitatem addamus, in totum conspirat.

Sed primum est, ut *complicatio*, si quae subsit, *inflammatoria* attentius eruatur, pessimasque sequelas fatalis, de *putrido* mox *sanguine* opinio habuit: quae medentium oculos circa cruoris demendi necessitatem hypothetico velo obduxit. Perniciosa quidem in

quavis certe *gastrica* venaesectio observatur, quotiescunque vera hanc instituendi desideratur indicatio; sed hoc ipso, quo de his loquimur, sub coelo, licet calidiori, non tam infrequens est gastricarum cum inflammatoria dispositione combinatio; et neglecta sub initio venaesectio, irrevocabile aegrotantibus damnum inferre, experientia convicti fatemur.

Quodsi vero haec complicatio desit (nec enim quaevis mox pulsum plenitudo, aut pectoris angustia, vel dolor punctorius hanc indicant): tunc, qua via bilis aut saburrae turgeant, ac si mobilitatem materiae ex hoc ipso agnoscamus: hae vel per oesophagum, vel per alvum promptissime evacuandae sunt. Solventibus igitur tenacem crassamque materiam attenuamus, potuque incidente ac acido diluimus: donec emetico, vel purgante, pro necessitate saepius repetito, praecipuam biliosae affectionis causam eliminasse videamur.

Erunt quidem certae interdum circumstantiae, quae emetici porrectionem contraindicabunt; sed quo major in diagnosi certitudo, et quo vehementior morbus est: eo minor contraindicantium numerus et auctori-

tas erit; neque minoribus periculis spes vitae, quae saepe ab emeticis unica est, sacrificari debet. Hinc si major instet morbus; nec hernia, quae sub emetici operatione contineri ac fulciri potest, — nec perpressae pridem haemoptisis metus, — nec spirandi difficultas, aut major ad ventriculum sensibilitas, — nec praegrans uterus, nec tenera aetas, aut senectudo, ab emetico absterrebit; quod, mitiori aegritudine, sub iisdem contraindicantibus, cum purgante commutari interdum oportebit. Nec interim evacuante per inferiora medicamento, vomitorii potenter indicati actionem supplere licet; nec major ab isto, quam a tarda in gastricis ac profusa diarrhoea, quae neglectam insequetur emesin, aegrotantis debilitas timenda erit. Quidquod et tardior saburrae ad superiora turgentis significatio, nisi latens abdomine, aut thorace inflammatio imponat, aut vires jam propemodum deletae obstant, vomitorium sibi non raro expostulet. Interdum paucae erunt, quae per vomitum a stomacho excutiantur materiae; sed magna hunc ipsum imminutio symptomatum insequitur: ex qua conicere fas est: vel parva interdum principia majoribus turbis subesse; vel emeticorum

actionem in ejecta minus consistere materia; quam in alia super nervis abdominalibus potentia esse quaerendam. Siccissimam et fere ustam in ore linguam, ab emetico, mox placidissimo rore madefactam, et naturali molitiae repristinatam, tum nos ipsi conspeximus, tum alii; ut igitur nec ab hoc quidem symptomate vomitorii indicati administrationi contradicatur.

Quotiescunque vero saburrarum nova comparent indicia; interpositis, quae viscidiorum pituitam resolvere ac praeparare possint, remediis incidentibus ac salinis; ad novas evacuationes, modo jam satis indicato (§§. 59. 60.) vel ore, vel alvo institundas eousque properamus: donec vel potissima sordescens abdominis vestigia dispareant; vel debilitatis a saburrarum actione non derivandae ratio mutare consilium jubeat. Atque tunc iterum antimonialia, sed refractis dosibus, cum haustu salino, aut sero lactis sat copioso soluta, gradatim porrecta egregie conferre, et non modo alvum quotidie, sed et cutaneam secretionem promovere observantur. Potus interim vel ex aqua et oxymelle, vel ex sero lactis, vel lacte ebutyrato, vel ex succis fructuum horreorum recen-

ter expressis, cumque frigida remixtis, clysteres vero ex similibus, quotiescunque alvus reluctatur, frequenter injiciendi sunt. Si majores aestus, post institutas jam evacuationes, urgeant; vitrioli acidum, frigidae sat magnae quantitati conjunctum, tum hos ipsos, tum bilis corruptionem frenabit. Interim aegritudine jam quidquam adulta, factisque necessariis depletionibus, conducunt illa, quae transpirationem moderate secundant, singulaque corporis colatoria aperta servare queunt. Hinc iterum refractae tartari emetici portiones cum haustu salino combinatae perbelle operantur: ut cessante evacuantium indicatione, interdum solae, curationem morbi perficiant.

Cortici peruviano locus erit, ubi, ejectis saburris, remissiones sat manifestae occurrant, nec inflammatoria diathesis roborantium usui refragetur. Summos vero hoc medicamentum, vel sub leviori etiam remissione, effectus promittit, cum ex *intermittentis* paroxysmis *continua* componatur.

Cura febris
pituitosae.

§. 110. *Pituitosae* febris, in qua inflammatoriae dispositionis, sat rarae, vestigia desunt, curatio exigit, ut tenax primarum via-

rum gluten solventibus prompte reddatur mobilius, et quam celerius id fieri potest, solutum, per emesin ejiciatur. Interdum haec aliquoties repetenda venit operatio, adhibitis, tempore intermedio, incidentibus ex decoctis graminis, taraxaci, cichorei, florum arnicae, cum solventibus aliis, sale ammoniaco, et refractis tartari emetici dosibus. Ipsa vero emetica, ob glutinosam ventriculi custodiam, vel ob nervorum sensibilitatem minorem, facile actione sua spoliantur: hinc potior et hic est *antimonialium*, quam *ipeacacuanhae* ad ciendos vomitus efficacia. De intestinis quoque pituita liberandis nunc cogitandum erit; sed ob facilem in colliquantes diarrhoeas nisum, fortiorum hic exulet usus; rhabarbarum vero, cum aliqua portione *ipeacacuanhae*, vel cum sale ammoniaco, vel cum sulphure aurato antimonii, vel demum cum magnesia caustica, praescribendum, alvusque tum his, tum clystere, aliquoties in die movenda erit. Acidorum hoc in morbo usus vix emolumento, interdum vero damno esse observatur.

Si *contagium* et fortiora *nervosae* symptomata huic feбри subesse videantur; tunc, morbo ad ejus simplicitatem, per emetica inpri-

mis, reducto, is ipse remediis cardiacis excitantibus (§. 94.) expositis, pertractandus erit. Valent et hic, quae ibi de *corticis* usu dicta fuerunt, saepiusque in *pituitosa febre*, cum vel in pulvere, vel excitantibus nec quidquam suffultus praescribatur, anxietatem suscitasse est visus. Major vero intestinis a pituita liberatis irritabilitas esse, et incauta evacuantium dosis fatalem hic excitare consuevit diarrhoeam. Haec autem si morbo accedat; remediis (§. 97.) expositis arcenda est; nec tardioribus emeticis hic tam facile, quam in praecedenti specie (§. 109.), locus est: cum, fractis jam morbo viribus, hae ipsae per majorem evacuationem non possent non amplius prosterni.

Cura gastricae
nervosae.

§. III. Quid in *febris gastrico-nervosae* curatione praestandum sit; hoc alibi (§§. 94. 96. 97.) jam abunde indicavimus. Magni vero hic interest discernere, num *simplicem* morbum, num *complicatum* pertractemus: nec enim *inflammatoria* hic semper dispositione liber incedit (§. 90.); nec contagium frequentissime deest, quod majorem aegritudini malignitatem concedat. Ipsa quidem materiae abdomine coacervatae interdum tanta est de-

pravatio, ut, venenorum modo, vel solo nervorum contactu, vel ad sanguinis massam resorpta, nervosum systema, contagiorum fere exemplo, aggrediatur, ac potiora *nervosae* producat phoenomena; sed tamen majora, sine *contagii* accessione, artis habentur subsidia, tutiorque longe purgantium usus tunc observatur.

Primum igitur est, ut in causas morbi diligentius respicientes, easdem citissime ab aegrotante removeamus. Deinde temporis, quo febris duravit, et virium vitae, et annuae constitutionis habenda est ratio. Summa igitur tum aeris, tum rerum, quae aegrotos circumdant, puritas esto: victusque majori ad primas vias corruptioni favens, animalis imprimis, exuletur omnis. Quae vero in his collectae praesentem morbum aut generarunt, aut comitantur sordes: hae, quamprimum ad evacuandum prompta sit materia, emetico antimoniali, aut, si diarrhoea jam subintret, ipecacuanha, toties, praemissis, si opus esse videatur, solventibus, expellantur; quoties et signorum id expetat ratio, et aegrotantis vires permittant. Abhinc vero et intestina saburris, bile, aut vermibus, tum per cremoris tartari, pulpaeque tamarini.

dorum in sero lactis solutionem, tum, si vermes indicare videantur, addito his valerianae, aut santonico pulvere, liberanda sunt: quem ad finem refractae emeticorum cum haustu salino porrectorum doses, ac clysteres ex aqua et aceto, et ibi potissimum inservient: cum majoribus prostratio virium evacuationibus jam nimis repugnat. Rarum est, sed interdum accidit, purgantia per alvum remedia virtutem emeticis exserere superiorem: quotiescunque nempe major ad intestinosum canalem, quam ad ventriculum, saburrarum copia collecta haeret; ut plurimum vero, et interdum in proVectiori adhuc stadio morbi, summa est, nisi exhaustio maxima refragetur, procurandi necessitas vomitus. Emeticorum actionem per *calidam* promovere, nisi paucam, consultum non est; pro siti vero frigida, vel et glacialis aqua, eum acidiusculis succis remixta, potissimum, gratumve aegrotantibus potum constituit. Si ventris dolor, aut spasmus, mitiora implorent evacuantia; tunc amygdalarum, olivarum, recenter expressum, aut *ricini* oleum, securissimum praestat evacuans, vanusque timor est, ne ab animali calore, aut a bile admixta, haec olea rancescant. Utilissimam vidimus olei,

eum tartaro emetico, pauxillo aquae et mucilaginis arabicae, soluto, miscelam: qua per horas successive porrecta, sensiliorum aegrotantium alvus blandissime excitatur, ac tormina fecali acredine inducta potenter sedantur. Saepius sub ipso morbi decursu nova quasi sordium intestina inundat colluvies: quae repetitam purgantium opem requirit; sed refractae stibii emetici doses, cum haustu salino, aut sero lactis epicratice porrectae, huic necessitati satisfaciunt; et quo major contagii, viriumque successu morbi prostratarum est ratio; eo magis timeatur oportet, ne incauto purgantium usu, quod reliquum est vitae, evacuationibus expellatur.

Acidorum mineralium his in febribus usum, jam alibi (§. 94.) restrinximus, eorumque sub aestu majori bilisque corruptione insigni, administratio, nisi inflammatoria id renuat dispositio, utilitatem habere observatur; interim vix tantum in secundas vias effectum ab his ipsis exspectabimus, plurimumque laudis ex *putredinis* theoria huic remedio accrevit; quod certe, si major jam virium dejectio urgeat, aegrotis non sine damno praebetur, saepiusque, licet optime dilutum, aridissimas jam fauces inflammasse, nobis visum est.

Quamprimum vero sordium abdominalium signa, quibus fides haberi queat, disparuerint, nec latentis vestigia inflammationis, nec evidentior morbi continuitas impediatur; a cortice peruviano summa saepe virtus exspectari potest. Non tamen universalem hujus remedii laudem confirmamus, qua indistinctim hac in febre, post absolutas evacuationes, vel omnibus porrigendum esse quamplures contenderunt. Debiliores certe, sub datis circumstantiis, hoc remedii genus egregie sustentat; sed a vino, aliisque cardiacis longissime superatur, quotiescumque ex *intermittentium* familia conflata non est *continuae* natura, vel saltem aperta satis exacerbationum remissio, aut pulsus mollis, minorque urinae rubedo, non observantur: quibus sub circumstantiis saepe magnas hic cortex anxietates, spirandique difficultates excitavit. Hujus idcirco medicamenti usum, tum praedictae cautelae, tum regnantis epidemiae character, tum sollicita praegressorum attentio, rectificant; nec parva tunc ejusdem portio; sed quae tanto morbo penitus debellando sufficere queat, praescribenda est. Sed quae simpliciore nunc febrim et fere *nervosam* (§. 88.), respiciant, quamque magna

gna a vino, vesicantibus, camphora, aliisque cardiacis expectanda sint subsidia, jam alibi satis fuit expositum (§§. 94. 97.).

§. 112. Complicatam cum indole *inflam-* Cura gastric.
inflamm.
matoria gastricam, ad leges pro intermittente hujus naturae traditas (§§. 52. 71.), — non tamen sine certo ad diversas hujus febris species (§§. 100. 101. 103.) respectu, pertractamus. Neque enim *inflammatorio-pituitosa* febris, quamvis venaesectionem non semper excludat, majorem sanguinis perferre potest jacturam; neque hanc tam facile perfert *gastrico-nervosa*, aut *contagiosa*, quae plethoricum, juvenemque hominem ex improvise invadit, aut externae sese laesioni interdum associat. Coeterum pro sananda febre *inflammatorio-gastrica*, regula haec erit: ut praedominantis vel inflammatorii, vel gastrici generis potior habeatur ratio; utque illius cura non sine magna latentis in abdomine saburrae consideratione suscipiatur. Hinc venaesectio omnino evacuantibus coeteris, idque eo magis praemittenda erit, si visceris quaedam subesse videatur inflammatio: cujus ab emetico lethalis certissime foret, sine praemissa venaesectione, exasperatio. Haec igitur

mox a morbi principio instituenda, et pro symptomatum vehementia repetenda est, sub quo interim solventibus ex nitro, sale ammoniaco, cremore tartari, potuque ex sero lactis ac tamarindis parato, aliisque, tenaciores ventriculi, intestinorum sordes sine stimulo ad proximas evacuationes praeparamus, alvumque per clysteres quotidie sollicitamus. Sed cavendum, ne larva nobis inflammatoria imponat: sub qua vires mox a detracto sanguine prosternuntur, vix amplius relevandae. Hinc sub dubia quodammodo indicatione, medentis in praesentia, ac imposito arteriae digito, secentur venae; sique pulsus hoc sub opere attolli observentur; cruoris cum fiducia major aliquanto copia detrahatur. Ipsa dein, vel paucioris, sanguinis conditio, cum regnantis constitutionis caractere, aliisque symptomatis comparata, quid ulterius audendum esse possit, utplurimum docebit. Est tamen, ubi sub ipsis his dubiis, arteriae, secta licet vena, sub digitis nequidquam attollantur, quin ideo detrahendi cruoris minor sit necessitas; sed difficile est ea, quae expertum tunc medicum dirigant, verbis exprimere, et ad lectulos magis, quam literis, doceri haec possunt. Sed frequentius sat

manifesta hic est mittendi sanguinis indicatio, eamque, si urgeat, sine ullo resorbendae sic gastricae materiae timore, prosequimur audacter.

Pacato febris impetu ac inflammatorio caractere, morbus ut *simplex gastrica* (§§. 99. 109.) tractandus, semper vero retinendum erit: devicta licet inflammatoria sanguinis indole, hanc ipsam tamen per sat multum tempus vix in integrum dissipari, et a quovis diaetae, aut curationis stimulo, promptissime posse revocari. Hinc cibi pauciores, iique vegetabiles, potus vero sat copiosi, ac acidi, aegrotis temperato in aere degentibus praebendi, remedia vero, quae tam inflammationi, quam saburrali causae opposita sint, praescribenda erunt (§. 109.).

Non reticendum hic est, interdum febres Inflammationes gastr epidemicas comparere, in quibus *inflammatoria* symptomata, cum localem, aut topicam oculorum, faucium, pectoris, etc., aut rheumaticam, catarrhalem affectionem comitantur, aut dysenteriam, exanthemata varia, morbillos, variolas, circumdant, *gastricis* longe praevalere signis, et majorem curationis partem ab audaci sanguinis detractone expectare videantur; cum interim experientia ostendat,

a profuso uberius cruore, valdopere morbum augeri: qui vix peracta vel unica, vel altera venaesectione, copioso amarissimae bilis vomitu, promptissime solvatur. Tales nobis Epidemiae frequentius occurrerunt, multasque conspeximus *ophthalmias*, *anginas*, *peripneumonias biliosae* potissimum *indolis*, et quae, cum, ob apparentem inflammationis intensitatem, copiosis venaesectionibus ab incautis et constitutionis annuae, causaeque morbi ignaris viris pertractarentur; civium animos artificiali prorsus lethalitate consternebant: ex quo apparet, non in quavis febre *bilioso-inflammatoria*, venaesectionem praecipuum curationis momentum constituere; nec ubique vomitoria, ad plenariam usque symptomatis inflammatorii dissipationem sat tuto posse differri.

Monendum quoque hic est, in complicatis cum inflammatoria dispositione gastricis, sub morbi fine, *sudores* salutariter plerumque a natura intendi: quae idcirco tam proficua aegrotantibus excretio, post fractos tum inflammatorios, tum gastricos morbi istius impetus, lenioribus diapnoicis ex haustu salino, vino antimoniato, Rob sambuci, et ejusdem plantae infuso, secundanda erit. Si


felix ad partem externam *metastasis* contingat: haec ipsa emollientibus, anodinis remediis fomentanda, et ad perfectam suppurationem ducenda est. Si depositio ad viscus facta, ominosa de novo excitare videatur symptomata; habito ad prioris morbi naturam respectu, venaesectio, evacuantia, vesicans, atque alia, ex praedictis sat facile eruenda, indicantur.

§. 113. Reliqua ex morbo aegrotantis debilitas, quod ubique retinendum est, remediis et diaeta, pro febris superatae natura et indole varia, diversis corrigenda est. Nunc enim lenia evacuantia roborantibus commixta, infusum rhei, cum corticis decocto; nunc vero hoc solum, aut amara et martialia indicantur remedia: quorum usum nec linguae continuans mucositas, nec forte superstes oris amarities, oppressio stomachi, aut diarrhoea, praepediunt. Alias Elixir vitrioli, cum cortice nuptum, ac vinum generosum conveniunt: cum illi, quibus inflammatoria complicatio pericula auxit, roborantium usum sine damno perferre non possint. Sunt, quibus repetita hinc inde vesicantia, aut fonticulus, potissime conducunt. Nullis non animi quies

Reconvalescentia rat.


ac recreatio, corporis adaequatum viribus
exercitium, et aer campestris proficere ob-
servatur.





O R D. II. G E N. III.

FEBRIS CONTINUA INFLAMMATORIA.



§. 114. **A**LIUD *continuae* febris genus est, Notia.
 quod ex aucta cordis, arteriarumque irritabi-
 litate et actione exortum, majori, quam coe-
 terae febres, symptomatum continuatione
 mortales terret, ac ob frequentem, quam cum
 alijs complicationem amat, jam saepius no-
 minanda fuit, *inflammatoria febris*.

§. 115. Haec ipsa, tempore quovis, ma- Natura et ex-
 tensus.
 xime verno, hybernoque sub frigore sicco,
 interdum vero fervidissima aestate, adoritur
 homines laute nutritos, plethoricos, juvenes,
 ac fortiori, irritabilique fibra constructos;
 nec pueris tamen, nec feminis parcit; et cum
 quavis corporum constitutione tum sana, tum
 morbosa connubium inire observatur. Colles,
 locosque sicciores, septentrionali vento per-
 flatos praediligit; sed nec planitiem, nec

ipsas adeo paludes dedignatur; ac sub calidiori non minus, quam boreali sub coelo domicilium figit (§. 107.).

Symptomata .

§. 116. Subito quidem hic morbus et inopinato frequenter accedit. Horror ut plurimum validior ac fortis, interdum levis, aut nullus, scenam aperit. Sequuntur ignes tangentis digito mox fere ustionis sensum imprimentes, brevi tempore, sub maximo licet calore, moderatum. Pulsus frequentes, vibrantes, fortes, ac duri; sed a cruoris copia, aut a spasmo, dolore, facile oppressi. Subtumens et sanguine suffusa est universa cutis, inprimis facies; rubent, fulgentque oculi, labia cum ore siccantur; lingua, sub initio humida, ingravescente morbo fit arida, et rubra; nares siccissimae, cum odoratus gustusque sensu fere abolito. Interea sitis intense urget, ad caput dolor haeret, et sub nullo, qui ingratus esset, oris sapore, interdum nausea, ac brevi cessans vomituritio, aut vomitus observantur. Respiratio vix difficilis, sed cita, anhelosa et calida; artuum gravitas, lassitudo, in pueris somnolentia, sopor, convulsio; in adultis vigiliae, insomnia terrificae, deliria interdum phrenitica cum

temporalis arteriae pulsatione, cordisque magnis vibrationibus. Urinae ardentes, parcae, flammeae, aut rubrae; alvus sicca et difficileter excernenda, transpiratio fere nulla, et sanguinis ex naribus stillatio. Hic vero e venis, nunc quidem, eductus, ruberior sano, firmusque apparet; sed paucorum dierum intervallo, emissus cruor obtegitur corio denso, subflavo ac tenaci, multumque circa placentam ponderosam colligitur serum.

Sic febris ista, cum primas origines duxit, vehementi cum impetu continuat, et vel brevissimo tempore per abundantes sudores, per urinam turbidam, copiosum sedimentum post breve intervallum deponentem, aut denique per copiosam narium haemorrhagiam, solvitur: ubi veram *Ephemeram* vel *simplicem*, vel *protractam*, quae *inflammatoriae*, vel *sanguineae* nomen meretur, constituit.

Ephamera inflammator.

Nunc vero, ex causis majoribus orta, longiores cruciatus meditatatur, et ad septimam fere, nonamque diem, non tamen sine quadam symptomatum ad noctem exacerbatione, ac aliqua versus matutinum tempus remissione, cutisque leni madore, protrahitur; donec vel eodem, ac *Ephamera* vix descripta, modo, in salutem terminetur; vel, methodo perver-

sa, sudoriferis, calefacientibus exasperata, sub *nervosae febris* apparatu, ad lethalem exitum praeparatur.

Divisio.

§. 117. Nimius tum cordis, tum arteriarum impetus ac reactio major vel ex *simplici* stimulo; vel, morbillorum, variolarum, etc. exemplo, ex materia oritur, quae per se alterius naturae morbum constituit; aut ab hoc tandem producitur ipsa: atque tunc inflammatoriae febris *complicatae* natura resultat. Non *acutam* semper haec ipsa, sed, ex continuato in longum stimulo, *chronicam* interdum, lentamque indolem habere observatur. Sed quemadmodum inflammatio sine febre universali frequenter occurrit; sic et febris inflammatoria, nunc sine conspicuis topicae inflammationis signis; nunc vero cum partis alicujus speciali phlogosi deflagrat.

Causae.

§. 118. Quaecunque cordis, arteriarumque systema ad violentas, et continuatas contractiones stimulare possunt; ea in praedispositis hunc ad morbum hominibus (§§. 66. 69. 115.) febrim inflammatoriam excitare valent. Jam a solo, in longum tempus protracto corporis exercitio, fortissima quaevis

animalia hunc in morbum illico conjiciuntur. Sed quae peculiari stimulo in ipsam cordis vasorumque substantiam agunt, non absimiles ea hoc in systemate effectus exserere observantur. Experimenta quidem super arteriis instituta, earundem irritabilitatem vix notabilem esse evincunt; sed sua est cuivis parti ac propria quidem sensibilitas: quae fortissimis interdum excitantibus non respondet; cum a leviori, nec sensibus aliis, nec chymica indagine percipiendo stimulo, promptissime in maximos rapiatur motus. In vehementissimis inflammatoriae naturae febribus, sub enormi cordis arteriarumque agitatione, non modo has ipsas; sed venarum totam compagem, interna superficie undique profunde rubentes ac inflammatas nos primum conspeximus, similesque arteriae, imprimis magnae, phlogoses partiales, sub iisdem circumstantiis, jam pluries ostendimus: quae certe arteriosi, venosique systematis a certis stimulis, ab intus quidem admotis, irritabilitatem abunde confirmant. Quaecunque igitur vel nata in sanguine, vel illuc advecta materia stimulans, ex suppressa imprimis, septentrionalis venti post sudores, afflatu, potu gelido, balneis frigidioribus, vestimento leviori, transpira-

tione oriunda, vel rheumaticum, arthriticum, contagiosum, purulentum, venenosum acre, etc. spirituosus potus, frequentem inflammatoriae febris originem constituunt. Nec minus huc spectant, quae nervorum praecipue actionem intendunt, pathemata incitantia, contentio animi, vehementior ac diuturnus dolor, vigiliae protractae, laesiones variae; tum naturalis, vel assuetae excretionis per nares, intestina, vel uterum retentio, calidissima balnea, ictus solis, et alia, quae, sicut localem in parte inflammationem excitare (§. 125.), sic et febrim, de qua sermo est, validissimam incendere queunt.

Prognosis.

§. 119. Purioris morbi, si rectius eidem ac in tempore occurramus, pericula tanta quidem non sunt; ac ipsa saepe natura per largiorem ex naribus haemorrhagiam, acutiorem alias longamque febrim, in *Ephemeram* (§. 116.) convertit, solvitque totam. Haec ipsa cruoris per diversa colatoria expulsio tardior jam morbum, sed non sine larga sudoris, ac urinae sedimentosae excretionem, circa septimum fere, undecimumque diem, dissipare consuevit. Interdum vero ex insigni humorum aestu citissimus in lethales visce-

rum infarctus inflammatorios et gangraenam fit transitus; aut haemorrhagia interna citissima morte aegrotantem aufert. Singularis est hoc in morbo ad metastases suppuratorias dispositio, quae coagulabilis ac semipurulentae lymphae transudationem ex vasis in vicinam cellularem, probabilem admodum reddit; et ex resorpta hac morbosa, nec in laudabilem amplius succum convertenda materia, videntur tum subitanei illi, ac sine locali inflammatione nati abscessus, tum copiosum in urinis, ac purulentum sedimentum, ac fere similis per alvum secessus, derivari posse. Testiculorum subinde tumor phlegmonosus hic succedit; quem promptissime in lethalem suffocationem, ex sanguinis in pectoris cavum effusione, abiisse conspeximus: Coeterum et anginae, et pulmonum, fatalem phthisin minitantes, abscessus, miliaria interdum, praecipue alba, ex imperfecta hoc in morbo crisi, nec non varia nervorum, ex facta super his metastasi, vitia frequenter oriuntur.

§. 120. Quae *complicatae* inflammatoriae Cura. febris curam spectant, ea diversis in locis (§§. 46. 62. 71. 95. 112.) exposita haben-

fur, ac ex coeterorum morborum consideratione ulterius patebunt. *Simplicioris* vero *inflammatoriae* medela consistit in eo: ut nimiam systematis vasculosi reactionem humorumque impetum promptissime restringamus; ut potu copioso, diluente, acidiusculo sanguinis aestum, ac irritantem vasa naturam imminuamus; ut quemcunque ab aegrotantibus stimulum sollicite auferamus; ut sub fine morbi illas praecipue excretiones, per quas natura crisin molitur, blandissime promoveamus, turbarumque effectus, aut morbos, in quos inflammatoria febris abiverit, quo fieri potest modo, tollamus.

Venaesectio. *venaesectio* potenter infringimus. Haec enim cruoris massam a corde ac arteriis movendam imminuendo, majoris irritationis motusque causam imminuit, plenitudinem nimiam vasorum, pressionem, spasmum, caloris, ab his saltem oriundi, rationem aufert; elasticitatem vasorum, quae secretionibus praesidet, motusque libertatem restituit; extravasati in cellulosam sanguinis, lymphatici, serosi humoris resorptionem faciliat; excretiones redintegrat; respectu partis a vulnere dissitae, licet huic rei, mathematicis in vi-

vente machina calculis nequaquam submittenda, nimium certe tribuerint, pro momento revellit; ratione vero illius, in qua vena secta est, et quae plus nunc sanguinis accipit, pro tempore derivat, nimiasque et in sui ipsius destructionem tendentes, corporis vires imminuit: ex quibus luculenter apparet, magnum in venaesectione, si vere indicetur, remedium morborum esse positum; sed nihil insimul in Medicina esse, quo tam saepe abutantur medentes, quam venaesectionem.

Indicatio venaesectionis ex symptomatum (§. 116.) vehementia, non ex sola corii, seu *crustae*, ut vocant, *inflammatoriae* constitutione, petenda est. Quo prius vero et morbi magis initio sanguinem mittimus; eo melior a venaesectione obtinebitur effectus. Interim et tardius, et quocunque morbi tempore symptomata illam vere indicent, sanguis tuto mitti potest; neque, ob falsam hypothesein, elapso triduo, vel quatrinduo, neque ob menstrui forsitan comparitionem, aut provectae, aut infantilis aetatis rationem, sine damno, vel per horam, intermitti, aut suspendi venaesectio potest.

Sanguinis detrahendi copia, ab aegrotantis aetate, sexu, constitutione, morbique

Hirudines,
scarificat.

ipsius vehementia, determinatur. In genere, ubi cum locali, visceris praecipue nobilioris, phlogosi febris nostra incedit; major ut plurimum cruoris copia mittenda est. Infantes interim tam largas venaesectiones difficulter perferunt, saepiusque *hirudinibus* aut *cucurbitulis scarificatis* apud illos est locus: quae certe non minus apud adultos, infracto jam per venaesectiones febris impetu, si partialis subsit inflammatio, loci inflammati vasa egregie deplent, spasmisque ac tensioni, doloribus, medentur. Parum vero apud adultos, hac febre decumbentes, paucarum unciarum, quantumvis repetita saepius, cruoris detractio juvat: unica nempe ac sufficiens ex largiori vulnere instituta venaesectio morbum longe certius, quam si majorem cruoris copiam, sed longiori tempore, detraxissemus, jugulat.

Interim nec sub iisdem quidem signis, semper eadem, sub quavis anni constitutione, venaesectionis abundantioris necessitas est; nec in eo certe inflammatoriae febris cura versatur: ut sine discrimine ac mensura cruorem disperdamus. Hinc ad lipothymias usque hunc ipsum fundere; ut periculosae rem aleae habemus; nec citius, quam par est,

est, venaesectionis vix institutae effectus expectari, vel, sine summa necessitate, haec ipsa mox frequentius repeti potest. Licet vero mittendi sanguinis copia, venaesectionum numero circumscribi non queat; semper tamen mente revolvendum est; vel in ipsis inflammatoriae naturae morbis, naturam certis adhuc viribus, sub aegritudinis fine, indigere; ac cavendum esse, ne, quos morbus forte nequaquam occidisset, hos scalpello crudeliter trucidemus.

Quamvis vero *refrigerantium*, ut vocant, Refrigerantia. actio, talis quidem in humano corpore esse non possit, qualis ex salibus mediis cum aqua remixtis, extra hoc ipsum, observatur; nihilominus tum salia neutra, tum acida vegetabilia sat egregios hac in febre effectus habere, vasorum solvere spasmos, impedimenta cordi opposita auferre, ac calorem infringere saepius conspiciuntur. *Nitrum* quidem decoctis hordei, avenae, vel frigida solutum, a duobus fere drachmis ad unciam dimidiam, per diem, frequenter praescribimus; ad majores vero doses porrectum, a paucis certe, iisque robustioribus tantummodo viris, perferri observavimus. Eadem saepe irritabilitas stomachi, lautiori *ammoniacy salis*

usui refragatur. Hinc frequentior nobis *pulverum temperantium* (N. XVI.) usus est; fructuumque horreorum recentes, acidulosque succos, vel cremorem tartari, vel acetum cum aqua et melle aegrotantibus, sub variis formis, offerre solemus. Nisi major cordis, vasorumque tonus obstet; *frigida* potior, aut aegrotis gratior potus non existit.

Aer frigidiusculus.

Sed nihil calorem animale ex istis moderabit; nisi atmosphaera, quae aegrotantem ambit, tum puritate maxima excellat; tum grato ac moderato frigore succurrat. Frigidior quidem aer sub graviori, pulmonum inprimis, inflammatione cum damno corpus, hosque ipsos, allidit; sed temperata aeris conditio et aegrotantis extra lectum positio frequens ac cauta, ardentis aestus, anxietatem, deliria, aliaque febris inflammatoriae symptomata, prae aliis longe infringit.

Clysteres.

Nec minor *clysterum* ax aqua cum nitro et oxymelle, vel ex lactis sero, utilitas est, atque summa hac in febre necessitas. *Purgantium* quidem, in hac ipsa, indicatio, vix, nisi gastricae saburrae signa haec exigant, urgebit; sed frequentior fere hic casus est; et institutis jam venaesectionibus, tamarindorum pulpa cremorque tartari cum nitro, in

sero lactis, aut aqua soluta, non sine conspicua utilitate, aliquoties in die alvum movebunt.

Quo vero tempore futuram morbi per sudores solutionem praevidemus; oportet cutem humoribus perviam, docilemque reddere; ac hos ipsos leniori diapnoico ad superficiem invitare. Balnea interdum tepidique fofus egregiam hic opem largiuntur; et haustus salinus cum vini antimonialis portione junctus, tum infusum sambuci, aliudque subcalidum potulentum, secundae indicationi respondent. Ne tamen sudor praepostere hoc in morbo moveatur, ac ne delitescens sub cineribus ignis incauto stimulantium usu rapiatur in flammam! quae scilicet sub tam infau- sto artis conamine ad cutem exanthemata comparent: illa nec ullo morbi levamine efflorescunt, facilemque febris in *nervosam* transitum praedicere observantur.

Si quae narium haemorrhagia aegrotantibus superveniat; ea nec adstringentibus, nec contrariis quibuscunque remediis, nisi major, quam par sit, virium dejectio insequatur, cohibenda.

Vesicantium hoc in morbo, nisi in alium jam converso, usus esse vix potest. Vana

sunt certe, quae, in vivente homine, a vi cantharidum solvente exspectantur subsidia; et vana sanguinis per vasa nunc circulantis spissitudo major. Interim si vitae vires a nimis forte venaesectionibus, aut a causa non inflammatoria, prostratae id exigant; ac fortiora interdum deliria cum pulsu debiliori urgeant; aut si localis inflammatio venaesectionibus jam jam infracta jubeat; vesicantium usui, qui et spasmos interdum sedabit, et sudorem eliciet, quam minime repugnamus. Sopori alias ac delirio hoc in morbo occurrentibus feliciter opponentur aut occipitis scarificatio et cucurbitulae, aut hirudines post aures, vel ad tempora, vel naribus, applicandae, vel ipsa, si vires permittant, jugularis venae incisio.

Quod ad *corticis peruviani* hac in febre usum pertinet; ille, a pluribus licet laudatus, paucissimis in casibus innoxius esse potest. *Intermittentes* ipsae, quae inflammatoriam indolem aliquando ostendunt, ab hoc remedio non tam raro in continuas pervertuntur; et nisi magna vel hujus remissio, vel virium projectio conspicua id jubeat, roborantium, viresque jam nimias erigentium actio non potest non aegrotantibus officere.

Quae abscessus ex imperfecta inflammatoriae crisi non nunquam prorumpentes concernunt; illa ex regulis alibi (§. 112.) expositis, facile intelliguntur.


Facilior post febres *inflammatorias* reconvalescentia, et promptior virium restitutio observari consuevit. Hinc non tam urgens hic est roborantium nutrientiumque indicatio; ut non ex citiori alimentorum vinique praeposito usu, vix superatae aegritudinis scena saepissime reiteretur. Solius naturae vires, et juvenilis aetas, superandis morbi sequelis ut plurimum sufficiunt; ac sub vegetabili, digestuque facili cibo, infusum chinae cum frigida paratum, prae coeteris salutem restituit.

Reconvalescentia .



 FORMULAE MEDICAE

IN §§. PRAECEDENTIBUS CITATAE.



Num. I.

Decoctum resolvens.

RECIPE Radicis graminis unciam unam, coque in s. q. aquae, ut colatura sit librarum duarum.

N. II.

Pulvis resolvens.

℞. Cremoris tartari pulverisati unciam dimidiam,
Tartari emetici (*) granum unum.

(*) Praeparatur apud nos cum pulvere *Algaroti* et Cremore tartari, methodo jam cognita.

Misce exacte, et divide in sex partes aequales.

Interdum duo grana tartari emetici, cum uncia dimidia Cremoris tartari miscentur.

N. III.

Haustus salinus.

℞. Spiritus Mindereri aut aceti ammoniacalis,
 Infusi Sambuci, ana uncias tres;
 Oxymellis simplicis, unciam unam.
 Misce.

N. IV.

Solutio emetica.

℞. Tartari emetici grana tria,
 Solve in aquae destillatae unciis tribus.
 Misce.

N. V.

Pulvis emeticus.

℞. Radicis Ipecacuanhae grana viginti,

Tartari emetici granum unum.
 Misce, fiat pulvis.

N. VI.

Emeto - Catharticum.

℞. Salis anglici unciam unam,
 Tartari emetici grana duo.
 Solve in aquae destillatae unciis sex.

N. VII.

Pulvis alvum evacuan.

℞. Pulveris radice Jalappae drachmam dimi-
 diam,
 Tartari vitriolati scrupulum unum
 Misce.

N. VIII.

Potio laxans.

℞. Salis anglici unciam unam cum dimidia,
 Mannae electae unciam unam.
 Solve in aquae unciis sex.

N. IX.

Potio laxans.

℞. Radicis rhei electi drachmam unam,
Foliorum Sennae drachmas duas,
Salis anglici unciam dimidiam,
Infunde aquae fervidae s. q.

In colatura unciarum sex, solve Mannae
electae unciam unam.

N. X.

Pulvis nauseans.

℞. Pulveris radice Ipecacuanhae grana duo,
Sacchari albi scrupulum unum.
Misce.

N. XI.

Pulvis nauseans stibiatus.

℞. Tartari emetici granum unum.
Sacchari albi scrupulum unum,
Misce, fiat pulvis.

N. XII.

Solutio amara.

℞. Extracti gentianae drachmas duas,
Solve in aquae Menthae piperitae unciis
quatuor.

N. XIII.

Solutio amara vinosa.

℞. Extracti gentianae drachmas duas,
Solve in vini Cyprini unciis quatuor.

N. XIV.

Acetum camphoratum.

℞. Camphorae drachmam unam,
Teratur in mortario lapideo cum spiritus
vini rectificati guttis viginti,
Sacchari albi unciis duabus,
Probe tritis affundantur
Aceti optimi unciae decem.

N. XV.

Emulsio arabica.

℞. Gummi arabici unciam dimidiam,
Amygdalarum dulcium, excorticatarum
Num. III.

Sacchari albi drachmas duas.

Terantur invicem, et adde, sub continua
agitatione, olei amygdalarum recenter
expressi, quantum cum hac massa uniri
potest; posthinc affunde paulatim aquae
uncias octo, et cola.

N. XVI.

Haustus antemeticus.

℞. Salis alkalini vegetabilis grana viginti,
Detur ad chartam.

℞. Succu pomi Citrini recenter expressi un-
ciam dimidiam.

Detur ad vitrum.

Misceantur, et sub actu effervescentiae ab
aegrotante hauriantur.

N. XVII.

Pulveres temperantes.

℞. Pulveris Cremoris tartari unciam dimi-
diam,
Nitri puri drachmam unam cum dimidia.
Misce et divide in sex partes aequales.

Finis Lib. I.


| | ERRATA | CORRIGE |
|-------------|------------------|----------------|
| <i>Pag.</i> | <i>Lin.</i> | |
| 33 | 19. Vegetabili | Vegetabilis |
| 38 | 22. eandem | eundem |
| 41 | 13. hanc | hunc |
| 41 | 13. aliam | alium |
| 46 | 21. eadem | eodem |
| 48 | 23. morboso | morbose |
| 74 | 10. debent | debeat |
| 86 | 10. solitariis | generalibus |
| 112 | 17. angentur | augentur |
| 137 | 15. §. 66. | §. 96. |
| 139 | 9. hausta | haustu |
| 164 | 8. cunstitutio | constitutio |
| 174 | 11. intestinosum | intestinatorum |

Praetervisa in Libro I.

| | ERRATA | CORRIGE |
|------------------|-----------------------|--------------------------------|
| <i>Pag. Lin.</i> | | |
| VI 14. | octuaginta | octoginta |
| XIII 15. | atqua | atque |
| XVI 11. | harte | arte |
| XXIV 21. | deductis syste. ma | deductis nascitur syste. ma |
| XXVI 26. | sanissim | sanissimi |
| 7 11. | aggressum | affectum |
| 125 21. | alteri | altero |
| 128 12. | moderandus | moderanda |
| 140 15. | athmosphaerae | athmosphaera |
| 154 18. | aurem | aures |
| 156 11. | paucarum | paucorum |
| 167 6. | neglecta | neglectam |
| 167 7. | venaesectione | venaesectionem |
| 173 17. | exuletur | exulet |
| 183 18. | locosque sicciore | locaque sicciora |
| 193 22. | duobus | duabus |
| 194 2. | XVI. | XVII. |


D E
CURANDIS INFLAMMATIONIBUS

LIBER II.




CLASSIS SECUNDA.

INFLAMMATIONES.



GENERALIA DE INFLAMMATIONIBUS.



§. 121. **C**ALOR partis, tensio, moles ac durities aucta, ut plurimum cum sensu doloris fixi, nunc ardentis, nunc pungentis, pulsantis, nunc gravativi, aliquando nullo, cum colore nunc vivido, nunc profundius rubro, saepissime cum febre, pulsu frequenter pleno, forti, ac duro; saepe contracto ac parvo; aliquando naturali; ac tumoris evidenti aut in suppurationem, aut in gangraenam nisu, dicitur *inflammatio*.

Natura inflammatio.

§. 122. Ex his igitur signis (§. 121.) praesens agnoscitur inflammatio; sed ex eo.

Fallacias symptomat.

rundem complurium defectu, ad absentiam istius, sat infirmo concluditur argumento. Hinc saepius *occultis* tenentur inflammationibus viscera, et ad partes adeo *externas*, hae ipsae tam p̄ofunde interdum haerent: ut, quo loco nec rubor, nec fere tumor comparuerat; eo non raro purulentus jam humor, aut sanies, subjectam carnem ac ossa depascatur. In ophthalmiis chronicis, in phthi-si pulmonali, in peripneumoniis, ventriculi, intestinorum, ac hepatis inflammationibus, etc. dolores frequenter non urgent; et quotiescunque vel paralysis, vel gravior sensorii communis affectio subest: illorum, quae in partibus contingunt, ammittitur conscientia. Non quavis c̄erte sub inflammatione, pulsus vel impetu, vel frequentia augentur; nec ipsae adeo functiones organorum ab inflammationibus continuo supprimuntur: ut igitur in dijudicanda internorum phlogosi, non unum, vel aliud ex allatis (§. 121.) signum; sed singulorum congeriem symptomatum, causas praegressas, et regnantis constitutionis naturam consulere oporteat.

tura est, prout partem vel *externam*, vel *internam*, et inter has vel caput, vel jugulum, vel pectus, vel abdomen, vel artus, vel superficiem externam adonitur; prout vel *primarium* sistit morbum, vel ab alio *secundaria* pendet; prout vel cum *intermittente* (§. 68.), vel cum *inflammatoria* febre (§. 114.), aut cum *gastrica* (§. 98.), aut cum *nervosa* (§. 80.), aut demum cum nulla (§. 122.) incedit; atque hinc vel *benignam*, vel *malignam*, ac interdum *periodicam* mutuatur naturam, cursumque suum vel *acutarum* more, vel *chronicarum* aspectu absolvit. Nec aliorum connubia morborum ab inflammationibus respuuntur; quo illarum vel *simplex*, vel *complicata* resultat indoles: earum exemplo, quae cum contagio variolarum, morbillorum, aut luis, vel cum acri rheumatico, catarrhali, vel alio, tam frequenter incedunt, legemque vel his imponunt; vel ab iisdem ipsae reguntur, frequentius *epidemicum* inflammationes characterem assumunt; aut certis demum regionibus communiores, ac vix non *endemicae* observantur.

Pro ipsius vero inflammationis externae Erysipelas. vehementia ac sede, vel superficiali lateque diffusa, vel in tumorem circumscripta, atque profundius penetrante, *Erysipelatis* illa, vel

phlegmonis nomen assumit . Ac primum quidem ex istis , fusius alibi describendum est ; *phlegmone* vero inflammatorium sistit tumorem , calentem , ac profunde rubentem , splendentem , in medio sui elevatum , saepe acuminatum et exacte circumscriptum , cum dolore distrahente , utplurimum insigni ac pulsante , in abscessum frequenter terminandum . Prima hujus principia sub *phlogosis* nomine veniunt , a *phlegmone* non nisi gradu distinctae .

Symptomatum
varietas .

§. 124. Descripta (§. 121.) inflammationis symptomata ulteriorem hic dilucidationem ex eo vix admittunt , quod pro varia febris , quae eandem comitatur , natura (§. 123.) , pro differentia causae , ac pro loci , quo sedem figit , diversitate , haec ipsa summo opere mutantur . Utplurimum quidem inflammatoriae febris phaenomena (§. 116.) sub locali inflammatione vehementius premunt ; ac major tunc hujus in abscessus observatur nisus ac dispositio ; sed quotiescunque aut rheumaticum , aut arthriticum acre tumorem excitaverit ; aut extrema cutis , ex bilioso potissimum vitio , superficiali flamma incendatur ; tunc rarior longe suppuratio ,

eaque vix benigna, inflammationem terminabit. Si *febris nervosae* cum hoc affectu symptomata (§. 82.) complicantur; aut vehementior inflammatio partem membranosam, tenuiorem, ac valde sensibilem corripuerit; tunc frequentior ejusdem in *gangraenam* exitus observatur: atque sic quaevis inflammationis complicatio consuetam alias symptomatum seriem invertit, et non modo eundem morbum facie, sed et medendi methodum vix non penitus interdum immutat.

§. 125. Si causae inflammatoriae febris Causae.
 (§. 118.), in unum magis eundemque corporis locum agendo, fortiorem in hoc ipso produxerint stimulum; nascitur tunc in ejusdem loci systemate *partiali*, id idem, quod in *generali*, ad fortissimas cordis, majorumque vasorum agitationes contribuit. Inscio vix non corde, *primariarum* pars plurima inflammationum adortur: affectae partis arteriae jam pulsant, agitantur vehementer, calorque partialis increscit, priusquam totum vasorum systema in consensum trahatur ac turgeat. Vim igitur vitalem, nervorumque sensibilitatem in parte inflammationem subitura, manifeste conspicimus auctas: ut, qui ab acerri-

mo aromate, spirituque ardente vix gratum persentiebat calorem ventriculus: hic, cum inflammatione laborat, vel a blandissimi liquoris aut aquae guttula mox enormiter convellatur. Nervorum in arterias, quas circumdant, ac in venas imperium tum ex animi pathemate, ex erubescencia, subitoque faciei pallore, ex frequentia pulsus, ac rubris, torvisque, sub mentis excandescencia, oculis, — tum ex contagiorum in circulationem actione, abunde innotescit. Quo majus vero muscularium fibrarum robur, et irritabilitatis pendens ab isto momentum est; eo major in phlegmonem promptitudo; et quo sensibilior pars corporis existit: eo magis inflammationibus obnoxia observatur. A simplici apum punctura, insignis in parte inflammatio accenditur; et vix perspiciendum sub palpebra sabulum, intensam jam oculi phlogosin producit: quae certe turbarum causae, non tam obstruendo, quam singulari nervorum irritatione, vasculorum eretismum, ac spasmodicam in contentos liquores agitationem producunt, sub qua tandem vel sanguis ipse, vel lymphaticus, coagulabilis humor in vicinam cellulosam lateraliter exprimitur, ac mutatus transudat.

Non quivis certe stimulus, eosdem, tum in nervos, tum in arteriarum irritabilitatem (§. 118.) effectus habere observatur; hinc nec quodvis istorum irritamentum inflammationem producere valet; sed insignem eorum oportet esse numerum, quae, dum vel nullum ex aliis sensum afficere videntur; nervorum pulpae, aut arteriarum irritabilitati inimica, cum in sanguine liberius circulant, *inflammatoriae febris* symptomata, — cum vero parti constantius admoventur; *inflammationis localis* imaginem referunt.

Quo vehementior huic irritatio locum dedit, et quo violentior vasorum agitatio est; eo magis secretiones hac in parte supprimuntur. Levior vero inflammationis gradus, abundantem, variique coloris, lympham plorat: quae, primo in casu, circa vasa inflammata, ac in propinquis cellulis collecta, nisi prompte dissipetur; febris ope maturata, praecipuum futuri puris, largitur rudimentum.

Irritationes vero, quae inflammationibus frequentius occasionem porrigunt, sunt laesiones mechanicae, vulnus, contusio, concussio, fractura, luxatio, corpora peregrina vel pondere, vel mole, vel figura denique,

vel motu infensa; fibrarum corporis extensio, compressio, corrosio, adustio; drastica, venena, acre quodcumque, imprimis rheumaticum, morbillosum, etc. vel chemicum, vel animale aut vegetabile, frigus magnum, et quae alia (§. 118.) enumerata fuerunt.

In ipso sanguine inflammationis causam quaesiverunt, qui ex conspecto his in morbis ejusdem *corio*, nunc ad majorem *densitatem*, nunc vero ad *solutam lymphae naturam* concluderunt. Sed licet haec, ex coagulabili lympham oriunda membrana, seu *crusta pleuritica*, in morbis inflammatoriis frequentius compareat; non tamen aut mox initio istorum super sanguine concrescit; aut in sanissimorum adeo hominum cruore tam raro invenitur: ut pro vera inflammationis causa prudenter valeat accusari. Ex eadem vena, in morbo summopere inflammatorio, detracti sanguinis portio coagulatur et corium ostendit; alia necquidquam coit, ac sanissimae alia constitutionis cruorem tuentibus offert. Gravidarum sanguis, vel ille, qui ex ligata diutius vena educitur, firmissimam crustam mox contrahit; ac in morbis, qui de inflammatione vel minimum participant, non infrequens est *corii* praesentia: ut igitur

ex tam inconstanti phoenomeno, et ex institutis cum sanguine, jam venis egresso, experimentis, ad illius, qui per vasa fluidissimus circumagitur, naturam, non sine magno erroris concludatur periculo.

Est interim singularis vasorum in parte inflammata conditio: ut, quousque in illis irritatio ac eretismus continuant; *secretione morbosa* id ipsum nunc praestent, quod in sanorum lympham vix nisi ignis, aut aeris, aut acidorum mineralium contactus, potuisset (§. 8.). Expressum sic animale gluten in solidas concretiones ac in membranas tam pronum est, ut, vel paucorum spatio dierum, vicinas partes, quas natura separatas esse voluit, morbo inter se vinculo jungat, vel membranaceo, et, quod pluries conspeximus, jam *vasculoso*, sacco includat; vel omnem glandularum, viscerum, telam infarciat; polyposa, continuo solidescente, materia repleat, et in futuras obstructiones, ac irresolubiles scirrhus disponat.

§. 126. Hinc variis inflammatio exitus Exitus inflammator. agnoscit: ut nunc extravasata in cellularem materia resorbeatur, partiumque tensio ac spasmus per *blandam resolutionem* Resolutio. dissipetur:

quo in casu, reassumpta in sanguinem lympham per inflammationem adeo mutata, ut de pristina nutrientis principii natura vix amplius participet, sub purulenti humoris imagine, *Suppuratio*, per urinas, aut per alvum, aut per sputa, aut denique per metastases, per sudores olentes, aut per exanthemata expellitur; — vel stagnans in celluloso vasorum inflammatorum ambitu coagulatus humor, diuturno fetu ac praeparatione in *abscessum* maturatur: cujus iterum materia, ad sanguinem forsitan resorpta, ut stimulans ac nutritioni inepta rejicitur, aut novam, hecticamque febrim accendit; — vel concrescens cum cellulis lymphae, *Induratio*, *duritiem* in parte, cum istius insensibilitate, majorem, aut interdum *scirrhi* rudimentum, relinquit; — alias per vim inflammationis sensibilitas partis ac irritabilitas, circulatio omnis ac naturalis calor destruitur, nasciturque *sphacelus*, aut, si quae vita supersit; *gangraena*. *Gangraena*. Interdum, cum inflammatio internam partem occupaverit; non modo purulenta, de qua diximus, materies, sed, et sine hac, copiosum *serum* in cavo, quod illam circumdat, promptissime accumulatur, *Hydrops acut.* oriturque *acutus*, vel et *purulentus hydrops*, a quo, dolorum ac inflammationis sympto-

mata disparent ; — vel copiosus interdum sanguis aut in cava corporis, aut in ipsam visceris cellulosa effunditur. — Si cutis superficiem occupaverit inflammatio : tunc, eadem cessante, epidermidis in furfures tenues, aut in latas pelliculas contingit *desquamatio*, quam saepe humoris serosi, ac ex parte coagulabilis, in parvis vesicis collectio praecedit, ac tenaces durasque crustas in parte relinquit. Tandem vero in aliis *acuta* quidem dispergitur, sed *chronica* succedit inflammatio ; vel cum eadem, purulentae, sine exulcerationis indicio, fluxus materiae alternat.

§. 127. *Resolutio* ipsa, qua labes omnis a parte inflammata (si reliquam ad similia dispositionem excipiamus) aufertur, per ipsam quidem moderatam febrim, in sanis caeterum corporibus, obtinetur ; sed praescriptum hoc ad opus, ubique tempus non est ; et sub violenta licet, vel nobilissimi visceris, inflammatione, post decimam saepe et quartam diem, venaesectionibus repetitis, aliisque subsidiis eandem potuimus a natura impetrare. Interim in multis certe inflammationis jam nimis provectae *resolutio* expectari vix potest ; et copiosior sanguinis hunc

Resolutio
natura.

in finem detractio, naturae vires ad blandam suppurationem necessarias, cum insigni damno disperdit.

Suppurationis
ratio.

§. 128. Tumoris inflammatorii *suppuratio* instat, ubi, sub fortiori quidem inflammatione, *resolutionis* occasio aufugit; ubi vel specificus irritantis materiae nisus in abscessus, vel cachecticus aegrotantium habitus, vel nimia partis affectae debilitas et imminuta reactio subest. Incipientis jam *suppurationis* opus prodit febris, ac doloris, sine manifesta causa, et absque consuetis in *resolutione* evacuationibus (§. 126.), decrementum, pulsatio tumoris, et aucta mollities, vel oedematosa cutis inflatio; factam vero, et jam adultam suppurationem arguunt febri-cula continua, post partum horripilationibus incedens, ad noctem exacerbata, et cum sudoribus matutinis remittens, urgente siccitate ac siti continua; fluctuatio puris, vel ejusdem effluxus, expulsio, rejectio; emaciatio corporis cum sat valido ciborum appetitu, oedema pedum, genarum rubor vespertinus, calor urens ac siccus, diarrhoea, et alia, cuivis parti suppuratee propria, symptomata.

Plura tamen ex his signis non sat firmam *suppurationis* absolutae diagnosis constituant; vel latentem interius abscessum non aperte comitantur. Hinc toties vel supponuntur, quae non existunt, suppurationes; vel occulta viscus depascens vomica praetervidetur: ut vel ipsa purulentae ex internis rejectio materiae saepe infidum exulcerationis largiatur argumentum.

Pus utique dicemus, quam in vulnere Pus. non impuro, vel in abscessu phlegmonoso invenimus materiam, humorem blandum, albidum, opacum, adinstar pultis mollioris, aut cremoris lactei crassiusculum, aqua graviorem, ac in eadem, vix solutum, mox fundo iterum praecipitatum, specifico, vix foetente odore donatum, nec ab igne quidem, nec ab intenso frigore, nec a spiritu vini, sed a salis alcalini fixi ac vegetabilis solutione coagulandum. Ast vero, cujus ex abscessu, aut ulcere origo non derivatur, interdum descriptis in omnibus indiciis convenit, nec tamen (a muco licet distincta) cum *pure* aequiparanda est, *materia puriformis*. Haec nempe, sine partis exulceratione, inflammationis vi, expressa galatina (§. 125.) quae sub simplici oculorum, pulmonum,

vesicae, aut urethrae phlogosi, copiose transudat, — vel quae hydropicorum in aquis ad fundum reperitur, aut forte quae et in pituitosa phthisi ex bronchiis copiosa secernitur, a *pure* ipso, vel ob solam jam in medendo diversitatem, distinguenda, alcalinae beneficio solutionis ab eodem nequaquam distinguitur. Hoc autem *pus verum*, licet eandem cum *puriformi* materia aut *spurio pure*, ex paucis sero ac lymphis, secretionis vitio mutata, originem trahat; ab hac tamen valdoperè distare videmus: quod, non tam facile in membranas, ac nova ligamenta convertendum, vicinas partes, et cutem denique ipsam sibi protinus assimilare, ac specifica operatione in se ipsum convertere observetur; quod ad sanguinem resorptum, non modo, *puriformis* adinstar materiae, per diversas a natura vias expellatur; sed (quod haec sola, nisi diuturna inflammatione suffulta, non facit) suppuratoriam, hecticamque febrim inducat; et quod denique contagiorum variorum fertilissimum constituat vehiculum. Sine praevia interdum sat manifesta aut febre, aut inflammatione, abscessus in morbis spurii oriuntur: quorum quidem materia, nisi diuturno fovu, ac

locali praeparatione maturata, non tam *pus* *verum*, quam *puriformem materiam*, vi sola vasorum inflammatoria, ac sine cordis consensu, aut febre, vel per solam lymphae in cavis stagnationem, vel alio, ac incognito secretionis vitio generatam constituit.

Donec igitur *purulentae materiae* non solum a *mucos*, sed ab ipso *pure* distinguendae innotescat ratio; oportet certe, ut maxima in dijudicandis internarum partium suppurationibus difficultas medentes premat; utque non nisi ex causae morbique totius consideratione, ac roborato experientiis oculo, diagnosis sub hac ipsa certitudo hauriatur.

Caeterum *pus* bonum ac laudabile nec in abscessu, nec in vulnere praeparatur, si vires vitae, tam corporis universi, quam ipsius, in qua suppuratio contingit, partis, aut nimis excedant, aut contrario errore deficient. Hinc vulnus a summa inflammatione siccescit, ac puris in phlegmone principia in gangraenosam convertuntur saniem; sub febre vero, aut debiliore partis reactione, tenuis, sanguinolentus, acris, foetidusque humor, seu *ichor*, vel serosum, pallidumque secernitur liquidum.

Indurationis,
scirri con-
ditio.

§. 129. Lympha sanguinis, morbosa va-
sorum actione immutata, vel in his ipsis,
aut in cellulosa vicina intercepta et stagnans,
in polyposam interdum ac callosam duritiem
degenerat, cum ambientium membranarum
canaliumque superficie concrescit, cavitates
opplet, infarcit, humorumque in illis, ac in
vicinis partibus circulationem delet omnem,
aut magna ex parte remoratur. Hinc par-
tium, viscerumque induratorum natus ca-
lor, sensusque perit, et actio quaevis orga-
nica; vel cum aucto ejusdem volumine ac
tumore, vel contracta in parvam duramque
molem substantia, sufflaminatur. Interim va-
rii tum indurationis gradus, tum recludentis
materiam organi hanc in ipsam effectus, tum
stagnantis, ac vel simplicis, vel acredine
mixtae lymphae in corruptionem sibi pro-
prium nisus, tum varia ex nervorum hac in
parte affectorum irritatione, et ex ipsius vi-
sceris differentia, diversa oriuntur phoenome-
na. Quae ad glandularum imprimis systema
delitescit materia, illa promptiorem in scir-
rhos, ac carcinomata naturam ostendit; et
quemadmodum haec inflammationem prae-
gressam sat raro pro origine agnoscunt; sic
et aliis in partibus indurationes a phlogosi
deri-

derivantes tam malignam non facile naturam adquirunt.

Partes ab inflammatione correptae, vel ob propriae spongiosam ac laxam substantiae naturam, vel ob febris, vel ob reactionis febrilis per nimias venaesectiones prostratae in parte languorem, vel ab incauto adstringentium externo usu, vel denique ob incognitum lymphae in concretionem nisum, indurantur; nec tam infrequens inflammationum hic effectus ab eo dicitur, qui tot anhelationes ac dispnoeas a peripneumoniis, tot articulorum ab arthritide rigiditates, — tot excernentium canalium, ab oesophagi, tracheae, intestinorum, urethraeque inflammationibus, coarctationes, ac tot demum arteriarum callositates, ossificationes, ab inflammatione vasorum occulta (§. 118.) plerumque pendentes, attento consideraverit animo.

§. 130. Quae pars corporis nec calorem **Gangraena** proprium, nec sensationem, aut irritabilitatem, nec tonum ac elasticitatem agnoscit, sed colore livido, aut plumbeo notatur, — aut quae demum, sensu ac motu privata, corrugatur, sine sanguinis circuitu contabescit, induratur, ac friget: illam pro *mortua*

declaramus. Mors talis incipiens, *gangraenae*, — perfecta vero, *sphaceli* denominatione insignitur. Si mumiae instar pars affecta rigescat, *gangraena sicca*; — si ob succorum stagnantium ac corruptorum abundantiam mollior emoriatur; *gangraena humida* vocatur.

Subita, vel paulo lentior quam maximi doloris, ardoris, caloris in parte inflammata cessatio; ruboris ex laeto in igneum fere, aut profunde rubrum ac lividum et nigrum conversio; — radiorum longitudinalium ad vasorum ductus decurrentium, livescentium conspectus; vesicarum brunearum, sero ex flavo obscuro, subsanguineo, aut atro repletarum, super inflammata parte elevatio; — arteriarum, motusque muscularis abolita actio; — epidermidis separatio, remanensque impressa mollescenti, frigidoque tumori fovea, vel aeris in cellulosa evolutio, seu emphysema, cessantem in parte vitam, sphacelumque demonstrant.

In *humida* quidem *gangraena* potissima ex recensitis symptomata locum inveniunt; sed et citior putridissimi ichoris in vicinos nervos effectus, aut ad massam humorum resorptio est: qua *febris nervosae* (§§. 87. 88.) seu *gangraenosae* symptomata cum sum-

mo vitae periculo quantocyus inducuntur, et in sanas gangraena partes citissime propagatur.

Lentior *siccae* progressus observatur *gangraenae*, ac diutius ista, donec vel in humidam convertatur, vel in mumiae speciem corrugetur, aut a corpore pars sponte secedat, sine febre incedit.

Sed quemadmodum totius corporis, sic et *partis* interdum *asphyxiam* occurrere, observationibus comprobatur: quibus caute hoc de statu judicandum, nec quamcunque gangraenam, imprimis si putredo desit, rudiori manu pertractandam esse, docemur.

Multiplex vero, nec certe ex sola inflammatione repetenda, *gangraenae* causa existit. Quaecunque vasorum, nervorumque in partem officia auferunt; illa, si tempore sat longo in istam agant, mortem necessario in eadem inducunt. Hinc extensio, contractio, compressio, fascia strictior, decubitus, contusio, impletio nimia, inflammatio maxima, extravasatio sanguinis, seri acris; hinc frigus summum, adustio, acredo specifica, scorbutica, venerea, putrida, gastrica, contagiosa, metastatica, venenosa, alia; hinc corpora peregrina, stimulantia, vel alio de-

num modo excitatus spasmus diuturnior, ac dolor summus, aut paralysis, marasmus, aut arteriarum in osseam substantiam conversio, et similia, saepissime *gangraenam*, nunc *sine*, nunc *praevia*, vel comitante *inflammatione*, producant.

Cum interim frequentiores *cum* ista gangraenae observentur; monuisse juvat, non ideo causam in ipsa semper inflammatione esse quaerendam; vel saltem hanc ipsam non ubique cum inflammatoria febre esse conjunctam. Quodsi etiam aut suam ex inflammatione originem gangraena agnoscat; aut cum illa manifeste incedat; post paucas tamen dies, aut citius, alienam inflammatoria febris ipsa naturam facile assumit, ac cum nervosa (§. 90.) quam maxime complicatam.

Hydrops acutus

§. 131. Qui non tam raro sub viscerum inflammationibus inducitur *hydrops acutus* (§. 126.), ille, nunc ipsius morbi ab impetu, nunc vero ex incauto venaesectionis usu, originem petit. Quamprimum aquae, vel solae, vel cum lymphâ coagulabili, vel cum cruore remixtae, circa viscus colliguntur: inflammatio ipsa quam plurimum immi-

nuitur, et succedunt rapidissima diversi hydropis diversa phoenomena, quibus febris necdum penitus profligatae signa consociantur.

§. 132. Ex illis, quae (§§. 119. 126. Prognosis. 127. 128. 129. 130. 131.) allata sunt, sat clara inflammationum prognosis habetur. Ex ipsa vero gangraenae historia, quam justus hanc undique timor circumdet, non minus comparet. Praevidemus istam, ex majori febris, quam sub qua suppuratio sperari queat, intensitate, ac diuturno auxiliorum neglectu; ex praesente morbo alio, tam chronico, quam acuto, contagio, aut acredine vi vitali infesto; ex causae inflammationem excitantis, externae, internae natura, et actione in partem, imprimis mollem, spongiosam, sensibiliorem, aut tenui membrana constructam, continuata, nec facile removenda; ex subita virium vitalium, sub locali affectu dejectione, faciei mutatione insigni, horrore magno, ac cessante tandem in parte dolore, cum singultu, anxietate, meteorismo, lipothymiis, extremitatum frigore, diarrhoea: quae singula, ad *internas* partes, quam ad *externas*, magis infida, vel instantem, vel jam inceptam

gangraenam, cum signis aliis (§. 130.) collata, frequentissime indicant, et pericula mortis, ab *externa* quidem affectione, si *gangrenosa* defuerit febris, ac si emorientis separatio partis ex ambiente hanc ipsam inflammatione vividiori, aut suppuratione incipiente, expectari queat, *minora*; — ab *interna*, *vix non certa*, manifestant.

Cura inflamm. §. 133. Inflammationis cura, pro varia ejusdem natura (§. 123.), ac pro febris, aut nullius (§. 122.), aut, eandem comitantis, diversae (§§. 68. 80. 98. 114.), ac denique pro causarum, subjecti, partis affectae, ac temporis, quo medelam instituimus, ratione, valdopere differt. Potissima in quavis inflammatione, non minus *externa*, quam *interna*, tum febris, ac virium vitae excessus, tum annuae constitutionis consideratio facienda est. Quae ad interna inflammatio urget, ea ut plurimum, ob majorem visceris nobilitatem, promptiori auxilio indiget; aut saltem effectus neglecta funestiores exserere consuevit.

Princeps quidem in curandis inflammationibus, *resolutionis* (§. 127.) offertur scopus; partibusque multis vitam, nisi hac so-

la, constantem non praeparamus; sed non quaevis *resolutionem* aut admittit, aut indicat inflammatio: vulnusque contusum, non recens, variolae, furunculus, aut critica in externa depositio, utriusque veritatis largiuntur exempla.

Resolutionem vero, causarum remotarum ablegatione, spasmi, aut reactionis in parte inflammata nimiae moderamine, massaeque fluidorum vel in toto, vel in speciali vasorum systemate abundantis imminutione, secundum regulas alibi (§. 120.) expositas, intendimus.

Pro varia igitur causarum (§§. 118. 125.) ratione, os fractum, luxatum, hernia, prolapsus reponenda; peregrinum corpus ex vulnere, vel quocunque haereat loco, extrahendum; plethora generalis, specialis, per venaesecionem generalem, localem, per scarificationem, hirudines, victum vegetabilem, parcum, potusque acidos diluentes auferenda, divertenda, stimulansque vel ad ipsam, quae inflammatur, partem, vel ad abdomen, alibique latens, acre, opportunis, specificis remediis corrigendum, revellendum, expellendum; et quaecunque demum cor ipsum, ac arterias, vel ipsius inflammati com-

pagem loci agitare, comprimere, infarcire, distendere, vexare possent, solícite removenda sunt.

Atqui cum sic causarum rationem assumimus: vel hoc ipso jam *spasmi*, ut illarum aut effectus, aut socii, quam plurimum detrahimus violentiae. Venae sectio certe, sat largo vulnere suscepta, pro re nata, saepius nec parva nimis quantitate, nec tamen ad lipothymiam usque, repetita, aut ex ipsius inflammatae, aut eidem vicinae, partis venis instituta, tum sanguinis copiam, ac nimium cordis, arteriarumque refringit impetum; tum stimulo locali, eretismo vasorum, tensionique nimiae potenter medetur, ac stagnantis in cellulosa materiae resorptioni summo opere favet. Nec certe *arteriarum*, vel incommoda nimis, vel fortioris haemorrhagiae non ubique formidine immunis, sectio praerogativa tanta hic gaudet: ubi minus ex cruoris a tergo venientis impulsu, quam ex locali vasorum excessu, et ab impedito sanguinis per venas regressu, irritatio pendet. Hunc certe scarificatio, hirudinisque officium potentissime expedit, et quod reliquum est, hoc, non ad externas modo ac superficiales, sed et ad profundas, internasque inflamma-

iones apposita emollientia , fomentationes tepidae , vapores , ac molliora cataplasmata absolvunt .

Cum vero aut laxior inflammatae partis est habitus ; aut violenta ejusdem extensio , concussio , irritationem producit ; aut acerrimum luis , blenorhoeae contagium genitalia , aut nervi externa ad artus laesio , hos ipsos inflammat ; aut grave gelu inducit phlogosin ; vel ipsius calvariae vexatio , fractura , encephalidem minatur ; depletis prius venae sectione vasibus , ex *frigidorum* applicatione , nisi tardum nimis , auxilium habetur . Alias et vinum cum aromaticis herbis decoctum , aut acetum , cum ammoniaco sale ; et aqua remixtum , externis , a concussione suggillatis , ac tono potissimum destitutis applicatum partibus medetur .

Quodsi ergo non cuivis mox inflammationi emollientia competant ; dantur et aliae , quae , detracto aliquoties sanguine , aut linimenti volatilis , aut cantharidum stimulo , super affecta parte agenti promptissime cedunt . Vix tamen in alia , quam *rheumatici* generis inflammatione , profuisse vesicans , compertum habemus , et cutis inducta per illud exulceratio vel inutilis est ,

vel ob dolores, quos diuturnos infert et spasmos, inflammationi contraria.

Si doloris impetus, majorque partis sensibilitas, ac violens pathema animi inflammationem, imprimis externam, minetur: tunc, emisso prius ex venis cruore, sat generosa *opii*, mature porrecti, dosis eandem saepius praevertit. Nec minor hujus, si atrox dolor, ac longa partis *internae* contractio inflammationem progignat, efficacia ostenditur et virtus, si atrox dolor, ac longa partis a spasmō contractio inflammationem excitaverit. Imminentem ex acri specifico phlogosin, citamque in partibus membranosis gangraenam, detracto prius, nisi alia vetent, sanguine, nihil *opio* potentius, cum cortice, aut mercurio nupto, dispellit. Jam provectam vero, ac vehementi cum febre junctam, aut ex saburris pendentem in partibus inflammationem ab *opio* constanter exasperari experientia docet.

Complicatam cum sordibus gastricis inflammationem, quamplurimum levia, alvumque sine stimulo moventia dispellunt evacuantia: tamarindus, oleum, vel manna, et cassiae pulpa. Nec in puriori, nisi ventriculum, aut intestina occupante, inflammatione,

haec medicamenta, moderata manu porrecta, et clyster frequens, utilitate destituuntur.

Jam fractam satis inflammationem transpiratio, aliaque secretio aucta, feliciter dispellit: quo fine refractae stibii emetici, cum nitro, aut cremore tartari, vel haustu salino remixtae doses egregie conducunt.

Post dissipatam protinus inflammationem, roborantium usus externus, internus, frequenter indicatur; in aliis tamen, ob latentem in pristinos affectus dispositionem, per longum satis tempus in vegetabili victu, et in illis continuandum est, quae irritabilitatem nimiam moderantur, aut saltem cortex cum ammoniaco sale indicatur remixtus.

Quae diuturno tempore divexat, *chronica* inflammatio, illa, ad oculos certe, ad fauces, aliasque partes externas nimis conspicua est; quam ut ad interna viscera in dubium vocari debuisset; atque ex tracheae, bronchiorum, ex vesicae, urethrae, intestini recti per extensa spatia vigente phlogosi, et copiosa materiae *puriformis*, sine ullo exulcerationis vestigio, continuante secretionem morbosa manifeste comprobatur. In hac vero, ex causis ut plurimum complicatis nascente, lentaque inflammatione, complicata non

Inflammat.
chronica.

minus, nec hic loci exponenda methodo frequenter indigemus. Saepius haec diuturnae inflammationis roborantibus dissipatur species; illorum vero, quae relaxant, noxius saepissime usus, et per novam interdum, acutamque inflammationem, excitantibus provocatam, haec dissipari affectio observatur. Interim non constans satis haec regula est, et interdum vel tepidis, sulphureisque balneis, vel sedantibus opus est, ac specificis remediis; aut, revulsa in alias partes stimulante materia, per artificialia ulcera medelam obtinemus.

Suppurat. cura

§. 134. Si *resolutio* inflammationis acutae, quae praescriptum a natura terminum non agnoscit (§. 127.), obtineri non queat; *suppuratio*, quam citius potest, ipsius febris, non penitus suffocandae, nec tamen excedentis, ac emollientium, vel, sub certo debilitatis statu, excitantium, internorum, externorum beneficio maturanda, et pus ipsum, pro varia abscessus, locique natura, nunc, antequam plane maturaverit, nunc tardius, vel ferro, vel causticis, vel directa per emollientia, vapores, situationem partis, corporisque motum, ad apertas vias, spontanea

disruptioe, educendum, saccique purulenti superficies impura detergenda, et in purum vulnus convertenda, ac demum conglutinanda est.

Ex his apparet, nunc, quamprimum *suppurationis* signa in conspectum prodeunt, venaesectionibus, ac sedantibus remediis valedicendum esse; nunc vero, si febris, pro bona suppuratione, nimia, aut gangraenam minitans illam ipsam comitatur; sanguinis detractio adhucdum locum concedi. Deficientem hinc febrem et vasorum reactionem suppurationis operi conducentem, tum diaeta quidquam lautiori, ac vino, tum excitantibus tantisper internis externisque remediis prudenter erigimus; et cum, in majoris jam turbae casu, vel solis emollientibus, aut repetita interdum indigeamus venaesectione; illinc calore quidquam aucto et humido, nec non, si exterior fuerit inflammatio, gummi-resinosis interdum aut cepae pulpa assatae cum emollientibus anodinis remixtis utemur, ac beneficio corticis languentes naturae vires erigemus.

Oportet vero, ut quae in *externis* inflammationibus ac suppuratione contingunt;

ad ea Medicus attentionem, quam potest, omnem convertat: et cum Chirurgia pro illis regulas experientia probatas sequatur; has ipsas, in quantum *res internae* patiuntur, ad viscerum inflammationes et suppurationes earumque tractationem referat prudenter. Multum interim abest, quin tam felicem in his esse liceat, et remediorum in externas partes actio, dum interius assumuntur, virtutem in partes eandem non habent. Hinc balsamicorum, ut vocant, aliorumque, in apertum licet abscessum non idem, ac in externum ulcus effectus, et febris abhinc multoties incrementum et irritatio magna observantur.

Quae interim suppurationes internas concernere leges possunt; eas sub speciali earundem expositione, suo quasvis loco succincte communicabimus.

Indurat. cura. §. 135. Pro vario lymphae in cellulosa, ac in spongioso glandularum parenchymate coagulo (§. 130.), ac pro intimiori singulorum coagmento, inducta per phlogosin soliditas nunc prompte satis, nunc artis nullo vel unquam emollitur auxilio. Tunc enim vasorum his in partibus vix non ubique solidescit compages, nec sanguinis circulo,

nec solventis actioni remedii patet; ac deleta nervorum sensibilitate, quasi calli, seu emortuae in vivente corpore particulae sistitur imago.

In minori spissitudinis et duritiei gradu, excitata, per resolventia, partis, quae superest, vitalitate ac energia, vel novae inflammationis beneficio, stagnantis materiae divisio, vel fusio purulenta sensim sensimque impetratur, ejusdemque in circulum obtinetur reductio. Hunc in finem, externis quidem, tum aquae, vel aceti, tum animalis recenter mactati, vel aromatici decocti vapor, aut fomentatio longa, balneumque frequens, saponacei liquidi, vel thermalis aquae ex alto cadentis usus, vel mercurii, loco opportuno, quo lymphatica vasa eundem recipere, ac ad glandulam obstructam perducere queant, illiniti subsidium, frotusque partis assiduus, ac lenis frictio, irritatio, adhibentur. Nec absimilis, licet multo difficilior, est *internorum*, quae indurere, pertractatio: qua vasorum, quae haec adeunt, nervorumque libertatem, vitalitatem restituere, ac tum antimonialium, mercurialium, saliumque refractis dosibus porrectorum, tum saponacei, lactescentis succi, aut cicutae demum, alio

rumque auxilio, stagnantem solvere materiam ac impeditas vasorum vias reserare contendimus.

Ast vero, tum hoc ipso in casu, tum sub majori partis, aut glandulae infarctae duritie, frequenter non inutilis modo, sed et perniciosa est diuturna, vel sollicita nimis obstructi visceris excitatio, vexatio. Saepe, quae per annos hic immobilis ac quieta haesit, aut per morbos deposita fuit, suspecta, vel specifica interdum, materia, alienam prorsus a naturali succorum animalium blanditiae naturam assumpsit, vel *morbosa* his in partibus elaboratio, secretio, malignam potius erosionem, et canerosam tumoris naturam, quam bonam in parte suppurationem inducit: quae pericula ex illis, quae alibi de scirrhis et cancro exponentur, ulterius patebunt.

Est interim in canalibus, ad quos chirurgiae accessus conceditur, excretoriis, cum ab inflammatione induruerint praegressa, in artificiali per cereolos nunc simplices, nunc compositos, vel per spongiam praeparatam, dilatatione subsidium aliquod: a qua scilicet protuberantis in medium ductus membranae inaequalitas et coarctatio aufertur, exeditur,

et

et pristina excretionis restituitur libertas; sed ad interna corporis hoc non extenditur beneficium, et saepe per vitam hic inflammationis infaustus effectus remedium non admittit.

Gangraenae
cura .

§. 136. Pars vere emortua reviviscere nequit: hinc, quae gangraena, sphaceloque correpta est, oporteret hanc aut a natura sponte separari, aut ab arte citissime rescindi: nisi primum, sat raro; alterum vero hic nunquam; ibi, saepius cum summo periculo susciperetur opus. Magnae igitur in privatae vita partis separatione dirigenda difficultates medentem premunt: tum illae, quae a dilatata in horas gangraena, tum eae, quae a resorpta, nervisque exitiali, gangraenosa sanie, in coetera redundant.

Cum vero gangraena saepissime alterius morbi constituat symptoma (§. 130.); hinc clarum est, ejusdem a primariae affectionis, et a causae, quae hanc ipsam induxit, natura potissimum pendere. Si febris igitur hanc partis mortem aut incipientem, aut perfectam induxerit; oportet certe, tum illius indolem, tum originem, quam ea habuerit, sollicite inquiri. Febris, quae gangraenam

inducit, aut comitatur, nunc nervosae (§. 80.), nunc gastricae (§. 98.), nunc inflammatoriae (§. 114.) observatur naturae; et quemadmodum triplex istius conditio a diversa causarum indole potissimum derivatur; sic et a sola partis, sine febris accessu, vexatione locali, pro differentia causae, genium gangraenae ubique diversum observamus.

Primum igitur in gangraena curationis momentum in eo positum est: ut causam tam febris; quam, si localis modo ad partem haeserit; hanc ipsam, quoad fieri licebit, avertamus.

Hinc si gangraenam *inflammatio* comitetur: videndum est, an ista prioris causam sistat, vel modo sociam. Si *primum*; tunc methodum inflammationi ipsi opportunam (§. 133.), habito tamen ad facilem *nervosae febris*, a resorpta sanie accessionem (§. 130.), respectu, continuamus; nec tonicis remediis, aut cortici peruviano; sed emollientibus, ac sedantibus locus concedatur oportet. Si vero *secundum*; tunc iterum inquirendum est, num febris illa *inflammatoria* vera, num potius *inflammatorio-nervosa* (§. 90.) mereatur appellari. In primo casu, venaesectioni, non quidem ob gangraenam; sed ob febrim ipsam, interdum locus

esse potest; in secundo vero, non nisi sub conditionibus alibi indicatis (§. 95.), cautissime aperiri vena potest, et corticis porrigendi occasio contrariam venaesectioni rationem sequitur.

Si primarum sordes viarum febrim violentam accenderint et gangraenam; vel si haec etiam sine tantis illius compareat symptomatis; tunc princeps in emetico, et in leniori per alvum evacuatione, curationis punctum ponendum est, et methodus, in *gastrico-nervosa* alibi (§§. 66. III.) proposita, cui simul externum corticis usum adjungimus, conducit.

Cum vero sub *nervosae febris* decursu (§§. 87. 88), vel et ante hanc ipsam, sub extrema corporis aut partis laxitate, debilitate, gangraena comparuerit; tunc praeter excitantia et cardiaca in illa indicata remedia (§. 94.), ad peruvianum corticem, tum interius *copiose satis*, ac potissimum in substantia, ut vocant, praebendum, tum ad fomenta saturata, ex eodem medicamine parata, ut ad *sacram anchoram*, properandum est.

Quodsi violentior in parte *dolor* gangraenam praecesserit, ac febris vel pauca, vel *nervosa*, eandem comitetur; tunc *emol.*

lientium usus externus, et accommodata symptomatis *opii* dosis, ad plura interdum grana in die augenda, quam maxime indicatur. Nunc vero haec gangraenae species, post paucas ab atrocissimo in parte dolore horas, vel sine inflammationis praesentia, illo cessante, comparet, et citissime cursum, tunc *humida*, absolvit; nunc, et quidem frequentius, ad pedes, non modo senum, sed et juniorum hominum, sat cito quidem prorumpit; sed lentiori passu, ut plurimum *sicca*, incedit. Hanc ipsam, ante quatuor jam annos, vidimus, cum a quatuordecim *opii* granis per dies multos porrectis nec quidquam cessisset; a duobus solummodo ejusdem remedii, cum tribus *moschi* granis, bina in die vice assumptis, opem perfectam habuisse. Ab alio nuper tum *moschus*, tum *Sal Volatile*, *Cornu Cervi*, commendantur. In utraque mali specie, a cortice interius porrecto symptomata facile augentur; et, in quantum gangraenam dolores circumdant; nec externus quidem ejusdem remedii usus indicatur.

Cum vero interdum nec febrium hucusque memoratarum species ulla, nec dolor, gangraenam praecedat; sed causa istius in ipsa partis affectae substantia haereat; tunc,

si *externa* haec fuerit, facilius distinguenda, qua potest celeritate, haec ipsa auferatur oportet. Si rationem internam agnoscat; haec ipsa, vel ut plurimum obscura, vel artis auxilio removenda vix est. Exemplum primae, in spurio brachii aneurysmate, in fortiori praeputii post glandem constrictione (paraphymosis), secundae vero, in artubus interdum, ex arteriarum ossificatione, ex irritabilitate ac sensibilitate partis, per localem paralytin, destructis, aut in atrophiae specialis casu offertur, ac remedia cuius causae opposita desiderat.

Sed, praeter febris et causarum rationem, ipsius etiam *localis gangraenae* non minor ubique habenda est. Ac duas quidem, easque principales hic nasci videmus indicationes: quarum prima est, ut majorem illius dilatationem ac progressum, — altera, ut putridissimi, ac vix non venenosi ichoris resorptionem praevertere, conamine quovis quaeramus.

Jam dictum est, separationem emortui per artem, nec in pluribus, ad interna scilicet, fieri posse; nec in aliis, nisi jam gressus gangraena in totum sistat; aut validopere, et cum partium mollium destructione, extensa sit; aut in *localis* prorsus, nec fe-

bre stipatae gangraenae casibus, sine totius pernicie tentari. Sub alia rerum conditione, iimitandae spes major gangraenae relinquitur; quam ut quis viventis adhuc particulae, cum infectionis, jam vicinis, aut profundis partibus communicatae, incertitudine, ac redituri in his ipsis mali, tunc sine dubio lethalis, periculo, amputationem aut pati, aut suscipere in aliis velit. Brachium, pedisque phalanges aliquot, gangraena correpta, non ferro; sed *ligatura*, feliciter ablata conspeximus.

Ipsius vero naturae, non artis, mirabile hoc opus est: ut excitata, ad gangraenosae partis confinia, inflammatione, ac suppuratione sat expedita; majorem sanis, ut mortem a se repellant, concedere partibus vitam intelligat. Facile vero quibuscunque hanc in rem attentis videre est: quod, si vel major sanas inflammatio ac spasmus carnes obsideat; vel minor, quam par est, vis vitae easdem accendat; progressus gangraena momento quovis majores faciat, et expectatae separationis nequaquam a natura impetretur opus.

Hinc artis illi succurrentis in eo ponuntur officia: ut, in primo casu, non modo procurando febris, si quae adsit, inflamma-

toriae; sed localis praecipue inflammationis ac spasmi moderamini, emollientibus, anodinis, viventi carni applicandis, solícite studeat; partis vero jam emortuae putredinem antisepticis, aut interdum frigidis topicisque remediis, arceat; — ut vero, in secundo, languentem partis, circa mortis confinia, vitam excitantibus erigat, et ad subeundam, quae limites gangraenae ponat, inflammationem; tum externo, ex aromaticis fomentationibus, aut demum ex cantharidibus, aut semine sinapis cum summa cautela petendo, tum interius porrecto, auxilio extimulet.

Resorptionem ichoris gangraenosi, ac diuturnam super vivis partibus stagnationem praevenimus *scarificationibus*, ne ad partes vitae instructas penetret; ne his ipsis venenosum istae liquorem inserant; aut novam, eamque malignam inflammationem solícitent; et ne periculosam in tam debili parte haemorrhagiam excitent, *cautissime instituendis*; tum partis jam emortuae, putredine luxuriantis excisione non integra, aut per causticum pulverem linteamine carpto excipiendum erosione circumspecta.

Sed maxima in praeventenda partium exitiosa caeteris putredine in cortice peruvia-

no, si vera debilitas subest, exterius simul adhibito, et ex ejusdem tum decocto fortiori, tum pulvere, cum acriori sanie coeunte, interdum cum camphora, alumine, et myrrha combinando, subsidia erunt. Nec fomentationes ex aromaticis herbis, ex aceto, spiritu vini camphorato, ammoniaco sale commixto, vel ex aqua sclopetaria, aut calcis recenter parata, ex fermentantibus, aeremque fixum copiose evolventibus fluidis compositae, spernendae sunt; nisi ob latentem sub gangraena, vel circa eandem, fortiolem inflammationem, quaecunque stimulum, aut solidorum crispationem inducunt, ut noxia, et periculi plena considerari mereantur: nec enim vel cortex ipse, dum ad carnem, quae sub mortua, vel circa hanc ipsam, vivit, penetrat; ut *antisepticum* agit; nec, ut praesentem moderatur; sic futuram arcet gangraenam, adstringens, irritansque remedium.


Quid in *gangraena sicca*, ex insigni dolore oriunda, faciendum sit, docuimus; de alia, felicem experientiam non habentes, credimus tamen, vix a cortice hic multum, aut a scarificationibus posse promitti; et nisi causa mali, quod rarissimum erit, felicius crui ac impugnari queat; vix aliud, quam

quod natura praestat, a medicina peragitur. Febris interim et hic, si quae adsit, viriumque vitae habenda est ratio.

§. 137. Cum vero ipsius loci inflammatum signa, tum curatio in multis inter se differant; juvabit hic singulas, quibus humanum corpus subjicitur, internas saltem, ac praecipuas inflammationes succinte satis exponere. Parum, quo ordine hoc fiat, interest; sed a capite, juguloque incipiendo, ad thoracem, ab hoc vero ad abdomen ac pelvim, dein ad articulos artusque descendentes, ex illis nullam, quae ad Medicinam spectat, et quae distingui meretur, omittemus.

Transitio ad species.





O R D. I.

INFLAMMATIONES CEPHALICAE.

G E N. I.

ENCEPHALITIS.



Extensio inflamm. nerv. §. 138. **P**ARS maxima nascentis, magnaeque apud adultos extensionis, *caput cum vertebrali columna* est. Sed quod hac in consimili calvariae, vertebrarumque specu delitescit viscus, *cerebrum, cerebellum, spinalisque medulla*; hoc, sicut *unum*, nec ob aliam, nisi desideratae viciniae, ac mobilitatis majoris rationem, verticulis intercisum ac multiforme; sic nobilissimam hominis partem, nervorum omnium aut principium, aut finem, sensusque omnis, ac motus originem constituit.

Notio morbi. §. 139. Hoc viscus (§. 138.), et, quibus involutum haeret, velamenta, ob causas

quidem *externas*, frequentem; sed ob *internas*, quod miremur, inflammationem aliis fere rariorem subeunt: quem cerebri affectum, ab unico, nec ubique praesenti, nec proprio, *constantis ac febrilis furoris et dementiae* symptomate, *phrenitidem* appellant, *Encephalitidem* melius dicendum. Nec enim aut Maniaci semper adeo febre immunes vivunt, aut in aliis interdum, *nervosis* imprimis febribus (§. 80.) furiosa, et vix non continua deliria tam rara observantur: ut ex hac sola mentis aberratione, tam diri character morbi eruendus foret. Nec exempla, tum aliis, tum nobis ipsis copiosa desunt aut perpetui fere, ac ferocissimi etiam delirii, cum encephalo phlogosis experte; aut nullius in mente vitii, cum inflammatione, ac ipso adeo abscessu in cerebro latente: ut igitur *phrenitidis* quidem denominatione ferox quodcunque ac febrile, continuumque magis delirium, exprimere, — sed non speciem morbi, cui *proprium* hoc esset, et *unicum*, hoc vocabulo liceat denotare.

§. 140. Inflammatorum interim vel ce- Encephalicia,
rebri, cerebelli, vel integumentorum iisdem sympt.
communium symptomata, ob hanc sedis dif-

ferentiam nullo inter se, quod constans, firmumque esset, signo distinguenda, in sequentibus fere observantur.

Prodroma.

Horror vagus per vices, cum lassitudine artuum, et cum anxietate, cutim perstringit; calores insueti intercurrent; singularis animi inquietudo, moestitia, irritabilitas, imaginum menti obversantium; cura haud eluctandarum copia; interdum hilaritas et incachinnos et risus cantusque effrenes proclivitas, securitas sine ratione, vel audacia insolita, caligines vertiginosae, oblivio rerum, ut plurimum capitis calor auctus, et mox dolor internus, ad occipitis maxime, vel bregmatis ossa, quasi cerebrum, aut cerebellum perterebrans; vel per colli vertebrae, atque per universam pene spinam extensus, cum insigni vasorum colli, temporumque vibratione; pervigilia continua, aut non reficiens sopor, aut *typhomania*; insomnia turbulenta, terrificata, desipientia levis; exscretio frequens, tremor linguae et artuum, anorexia, vomitus pituitosus, aeruginosus observantur.

Sed non tam semper initio morbi symptomata tam lente incedunt; sed, praevio rigore, acuta mox febris incenditur, cum

pulsu nunc duro, vibrante, frequenti; mox vero parvo, duro, crebro, aut languido, tremulo, inconstanti, inaequali. Deliria vel sensim sensimque increscunt; vociferationes assiduae; vel subito et repente in furias aguntur, cum quadam saepe ferociae remissione, interdum nulla; sed multis taurinum musculorum robur, frequens tergorum versio, capitisque assidua commutatio; vox a naturali recedens, audax, temeraria loquela, fuga ex lecto, praecipitatio improvisa ex fenestris in vicinas aquas, aut violenta aliorum aggressio, ac visus attentus, frequenter palpebrans, oculi truces, adinstar cornu rigentes, circa axin rotari apparentes, fulgidi, vel, ut vix album in iisdem cernatur, sanguinolenti, fugientes lumen, prominentes, cum lacrymis ex uno fere, prae alio, expressis; capitis externa intumescunt, inflatur vultus, ruborque plurimus in facie consistit; interdum continui ejulatus; vel inter verba colummodo ineptiens, tranquillus musitat aegrotus; acutissimi sunt aurium sensus, et a minori strepitu laeduntur; vel aures tinniunt, et difficulter soni subintrant; oris et linguae plurimum siccitas, exiguo potu contenta; urinae abundantia flavae, aquatae, et paulatim exclusae.

Interdum a fortissimo capitis dolore ; cum febre insigni, sine praegresso delirio, mox sensus obruuntur, et aegrotus stupore detentus, vix nisi excitatus, quaerenti pauca respondet ; inquietus in lecto revolvitur ; aut manibus caput amplexus, hoc undique circumjactat, suspiria ducit, ac interdum prae dolore contorquetur : quem verbis tamen vix indicat ; sed lethali silentio mutus sustentat ; aut brachium attollit, erectum capiti admovet, ac in hoc situ diutius tenet, quemadmodum faciunt, qui capite laesi decumbunt ; aut supini jacentes, ob magnam virium debilitatem, neque verba facere, neque in grabato cubantis habitum prae angore servare possunt, neque consurgunt fortiter, neque prosiliunt ; sed floccos venantur, et festucas legunt, ac immoti ac tremuli, non nisi manus inordinate jactitant. Sudorem copiosum, ac vaporem quasi ab ebullientibus aquis e corpore toto elevari, et caput, cum ad unum bregma intensius doluisset, ad oppositum corporis latus paralysin induxisse, in juvene conspeximus ; aut epileptica convulsio, animique grave deliquium ; spiratio magna ex longis intervallis ducitur, aut frequens, et plenis buccis, sub apoplectico apparatu, spumando peracta nobis visa est.

Ex his vero singulis apparet, inflammationem Encephallum tum generalia caeterarum inflammationum, tum propria saepius agnoscere symptomata, quae in calore majori, ac tensione capitis, in sanguinolento aspectu lucisque impatientia oculorum, faciei suffusione, tumescentia, in fixo ac interno capitis dolore, arteriarum temporalium, carotidum vibratione majore, in acutissimo saepius, interdum obtuso aurium sensu, in pervigilio continuo, aut delirio, tum miti, tum saepe feroci, vel et in soporoso magis, ac stupido aegrotantis statu, aliquando et apud infantes, in ipsis *acutissimi hydrocephali* symptomatibus, consistunt. Quodsi deliria, frequentius quidem, nec vero perpetuum, aut proprium huic soli morbo phenomenon offerant; quotiescunque tamen eidem accedunt, mox aegritudinis initio, nec a provento jam febris statu pendere observantur; sed hanc ipsam fere praecedunt, et, si hoc idem fere de febribus quibusdam, inprimis nervosis (§. 87.), dici meretur; a sociis tamen affectae potissimum calvariae signis in *Encephalide* raro separantur: ut igitur ex toto potius signorum concursu, quam ex uno, vel singulari quidquam symptomate, ad praesentem morbum concludere queamus.

Spin. Medul.
inflamm.

§. 141. Sed et ipsa cerebri, ac cerebelli per spinam protensa medulla non minus, quam substantia in calvaria custodita, inflammationibus subjecta est. Eadem fere hoc in casu ad vertebra[m] unam, aut alteram, quam quae, in *Encephalitide*, ad calvariam, seu primum, maximumque verticulum observantur, contingunt. Spinae scilicet cruciatus insignes, ardentis, interni, non simplici vertebrarum attactu, sed a spinae inflexione augendi, eidemque regioni respondentes, cum intensa febre, pulsuque forti, aut parvo, sed ubique frequente ac duro. Anxietas magna; sed fixus in dorso decubitus; ac pro varia mali sede, internorum, vel ad pectus, vel ad abdomen consensus, aut crurum stupor, aut paresis accedunt.

Sectio cadav.

§. 142. Varia in hominum tam diro morbo extintorum calvariis, aut vertebrarum columna, tum ab aliis, tum a nobis ipsis, detecta fuere. Nunc enim vel solae meninges inflammatione correptae, crassiores, ac fere callosae, vel gelatinae albescentis, serique purulenti inter has ipsas ac cerebrum, cerebellum, aut spinalem medullam collecti non aequivoca vestigia occurrunt; nunc fir-

mior

mior ac fere dura medullosi visceris consistencia [observatur, omnisque cerebri, cerebelli, spinalis medullae substantia rubet, ac innumeris, alias vix distinguendis depingitur, infarciturque vasculis; nec non serum, purulento humore remixtum, in ventriculis, ad cerebri basin, aut in lumbali tubo reperitur; nunc vero in uno alterove hemispherio, aut in ipso cerebello, tumoris fere circumscripti, ex pallido rubentis, flaviusculi detegitur species: in quo pultacea quasi ac cineritia, pure tamen quodammodo crassior, ac fere sicca invenitur materies. Interim nec signa sat certa tam diversae, et nunc late diffusae phlogosis, nunc phlegmonosae quasi, ac in abscessus tendentis inflammationis sedem in cerebro indicant; nec utriusque symptomata mali constanter adeo inter se differunt; ut *sphacelismus* cerebri per solum capitis, cum vehementi febre, repentinum dolorem, ac sensuum mentisque primum stuporem, mox vero abolitionem, ab *Encephalitide* sat tuto valeat distingui. In ipso spinae cavo, medullarem substantiam frequenter abscessus consumunt, et quemadmodum tardior latitantis hac in specu materiae lethalitas observatur; sic acris, et corrupta

sanies osseam vertebrarum substantiam hinc inde corrodit, ac spinam inflectit; aut pressione in nervos sua, tum vesicae urinalis, tum ani, crurumque paralyses, gangraenas, mortemque lentam quidem, sed certam, frequenter inducit.

Causae :

§. 143. Causae inflammationis tum cerebri, cerebelli, tum spinalis medullae, ac velamentorum, quibus ambiuntur, cum illis conveniunt, ex quibus inflammationes in genere oriri diximus (§§. 118. 125.); oportet interim, ob morbi infrequentiam, has omnes in cerebrum minori, quam in partes alias, potentia esse instructas. Frequens nihilominus ex violentia, cranio, ac vertebrali columnae illata, ejusque fractura, vulnere, concussione, contusione ad cerebrum medullamque spinalem; — ex rudiori, imprimis per vectes ac forfices infantilis calvariae compressione, inflammatio inducitur; nec tam rara dicatur illa, quae erysipelatis aut retrocessioni, aut, cum ad faciem haeserit, dilatationi, ac ad cranium ingressui debetur. Imprimis rheumaticum acre medullae spinali, cerebroque ipsi infestum vidimus; vel capitis scabies, unguentis siccata, aut metastasis

quaevis, hunc ad morbum contribuit. Fortior dein mentis per iracundiam, aut amorem infelicem exaestuatio, suppressa lochia, aut narium jam saepius absoluta hamorrhagia, ictus solis, et longa sub eodem, calvaria vel nuda, vel metallico, apud milites, pileo instructa, versatio, peregrinatio huc spectant. Peripneumoniae, anginae, otitis praegressa non minus huc faciunt. An taenia vesicularis, hydatigena, *Encephalitidis* interdum causa? Plethora, inprimis illa, quae capiti specialis est, ac fortior animi sub studio intensio, vigiliae protractae, dolores capitis violenti ac diuturni, ebrietas frequens, opiique abusus hunc ad morbum inprimis disponunt.

§. 144. Ex dictis facile intelligitur, encephali, spinalisque medullae inflammationem nunc esse *primariam*, nunc vero ab aliis affectibus *secundariam* pendere. Sed haec ipsa inflammatio, ut aliae faciunt (§. 123.) nunc *vera* est, et cum febre *inflammatoria* incedit; nunc vero *spuria*, vel *erysipelacea* magis observatur: ac tunc facile cum *nervosa* conjungitur, *malignamque* nanciscitur naturam; aut ad *gastricarum* revocanda est indolem. Sa-

burratum interim causarum in producendis deliriis interdum ferocissimis potentia quotidiana experientia innotescit; sed cum haec *Encephalitem*, sola, nequaquam constituent (§. 139.); hinc tam frequens ex sordibus causa, rarioris morbi illa, vix tam saepe, quam quidem de faucium, oculorumque inflammationibus potest, dici meretur.

Prognosis :

§. 145. Ex ipsa symptomatum consideratione, inflammationis ad Encephalum ejusque productionem spinalem pericula jam satis elucent. Leviores quidem menyngum phlogoses non tam saepe in mortem terminari, videtur ex non tam rara illarum *callositate* post mortem hominum, qui ejusdem morbi signa dederunt, inventa, doceri; vulnorumque ad calvariam penetrantium historia abunde illustrat. Ipsius adeo cerebri, cerebelli, spinalisque medullae inflammationes, non tam cito ubique lethales esse, tot *abscessus occulti* docuerunt, qui ad cerebrum, sine praevio interdum Encephalitis signo in cadaveribus detecti fuerunt. Interim a fortiori quacunquē harum partium inflammatione, post paucos ut plurimum dies, nisi ex templo succurratur; mors certa promanat,

ac unius fere hebdomadae, vel trium, quatuorve adeo dierum spatio, lethalia apoplexiae, hydrocephali acuti, aut syncopes, aut hemiplegiae, aut convulsionis symptomata comparent. Ad spinam quidem haec pericula lentius minantur, ac diuturna in cruribus, ad vesicam, rectumve intestinum paralysis succedit; sed ubicumque non simplex ad illam acutus hydrodrops; sed abscessus, vertebrarumque caries haec symptomata producit: non minus infelix, etsi tardior, in mortem exitus observatur. Funesta Encephalitidis natura est, si jam exhausto viribus aegrotante, aut ex angina, peripneumonia, aut a depositione quavis ad cerebrum, exorta fuerit. Ubi febris quidem violentia moderatur; sed delirium fere in soporem profundum convertitur; tunc vel apoplecticus morbi finis, vel cerebri expectanda est suppuratio. Interdum liberato doloribus capite, peripneumonia quamplurimis lethalis succedit. Quo magis vero aeruginosae bilis urget vomitus, aut dentium stridor, masticatio perpetua, aut laboriosa deglutitio, — quo magis faeces albescunt, ac urinae crudiores tenuemque naturam retinent, aut tendines subsiliunt, aut pervigilia urgent; eo certior a morbo

interitus est. Interdum haec affectio in maniam abivisse est visa; et si jam diutius morbus protrahitur, et febris ignava est; delirium in fatuitatem convertitur. Hoc in *puerperis*, quibus ex lochiorum suppressione Encephalitis accessit, interdum contingit.

Meliori hoc in morbo succedunt omne haemorrhagiae per nares, per uterum, aut per haemorrhoides; interdum felix a capite in aliam partem depositio contingit; aut sudor copiosus, ac fere purulentum, copiosumque in urinis sedimentum aegritudinem dissipant: quod quidem nunc citius, nunc tardius contingere observamus. Facile interim in recidivam pejorem, atque in augmentum hoc morbi est genus; etiamsi parva occasio impulerit causae. Quotiescunque vero salutari quidquam modo inciderit; deliria, quae diu noctuque urgebant, nunc sensim minuuntur, et cum somno placido, et reficiente alternant. Quousque vero pervigilia continuant, aut sopor nimius est: de felici solutione morbi, cogitari vix potest. Eodem vero pro votis licet depulso; aegrotus tamen ad longum tempus vertigine, dolore oculorum, capitis,

memoriae debilitate, auditusque acutie, aut gravitate, laborat.

§. 146. In descripta hucusque (§§. 140. Cura ?
141.) tum cerebri, tum spinalis medullae inflammatione, valent illa omnia, quae ad quamcunque aliam hujus indolis affectionem commendavimus (§. 133.); sed maxime curandum est, ut quo magis in Encephalitide deliria urgent; eo major securitatis, tum maxime quietis, silentii, ac obscuritatis, in loco, quo aegrotus decumbit, ratio habeatur. Quodsi furiosus coerceri aegrotus debuerit; fasciis quidem, si plurimum defectus custodum id jubeat, usus esse potest; sed praetectis lana aut veste locis, quae vinculis nectimus, ne major utilitate quiescendi imprimatur vexatio. Maxime vero hic interest, ut aegrotus, quam saepius potest, e lecto trahatur et sedili, erectus, frigidiori expositus aerae, capite tonsus, leviterque coopertus inhaereat diu. Deinde vix non unicum in venae, inprimis jugularis, sectione auxilium petendum; vel, et vena frontis aperiri, et temporibus, occipiti, vel post aures, hirudines, aut cucurbitulae scarificatae frequenter apponi, vel naribus aliquot ad-

moveri sanguisugae possunt; quibus, educto jam copiosius venaesectione generali sanguine, vasorum capitis depletio potissimum obtinetur. Arteriae temporalis incisioni, ob plura operationis incommoda, ac delirantis furores hominis, non multum favemus. Cum *spinalem medullam* inflammatio teneat; praeter generales venaesectiones, cucurbitulae plures circa partem, ac per totam spinae longitudinem ponendae, profundiusque scarificandae, nec non vasis haemorrhoidalibus hirudines applicandae sunt.


His praestitis, tum capiti, tum spinae inflammatis, fomentationes ex frigida, cum nitro, sale ammoniaco, et aceto remixta, frequenter, quo tempore crura ad genua usque pediluvio tepido immittuntur, aut lintheis tepida madefactis involvuntur, adhibendae; et clyster emolliens, cum nitro ac aceto frequenter injiciendus est. Si vel rheuma, vel aliunde huc deposita materies caput aut spinam inflammaverit; tunc, hanc ipsam, ad locum, quem deseruit, vesicantibus, invitamus. Nec ipsi quidem capiti haec, nisi sensibilitas major aegrotantis obstet, ubi major jam febris infractus est impetus, applicare veremur.

Coeterum remedia, quae in aliis inflammationibus laudavimus, lenia inprimis evacuantia, largumque potum subacidum, nitrosum, et hoc in morbo commendamus. Febris vero, ac causae hanc inflammationem concomitantis ratio quam maxima ubique habenda, et sua cuiusvis medendi methodus opponenda est. Camphoram cum nitro, dum pulsus undosus, ac tremulus aut inaequalis adest, commendant varii; quotiescunque interim validior sanguinis ad caput raptus est: cum camphora cautius mercamur, ac moschum saepius eidem praeferendum esse censemus. Idem de opiatis remediis iudicium esto! quae, licet veteribus arriderent medicamenta, vix nisi devicto inflammationis impetu, ob continuas vigilias, nimiamque sensibilitatem, indicari queunt.



 ORD. I. GEN. II.

OPHTHALMITIS.



Oculi natura. §. 147. **P**ARS corporis inter externas nobilior, nervis prae quavis alia instructa magis, cum praecipuis visceribus et cum toto corpore consentiens, vicinissima cerebro, vasisque ex eodem directis ornata, mobilissima simul, est oculi bulbus: qui, ob compositionem non minus, quam ob subtilissimam in singulis naturam, tum communibus aliarum partium, tum propriis sibi ipsi frequentissime exponitur morbis.

Defin. ophthalm. §. 148. Inter hos inflammatio potissimum spectat, seu *ophthalmitis*, vel *ophthalmia*: scilicet affectio oculi aut palpebrarum inflammatoria, cum aucta illius sensibilitate, aut dolore, et lucis intolerantia, plerumque cum lacrymatione; si externa sit, cum rubore aut et tumore conspicuis; si vero interna;

tunc saepius occultis ; nunc febrem inferre,
nunc omnem protinus excludere solita.

§. 149. Symptomata hujus morbi (§. 148.) Symptomata
generalia.
pro varia inflammationis sede, diversa ob-
servantur. Saepe color oculi in ophthalmiti-
de vix mutatus ; sed dolor insignis in me-
dio hujus, ex orbita ad occiput extensus,
ac summa lucis impatientia et lacrymatio ad-
sunt. Alias intense rubet albuginea, ac vel
ipsa ejusdem vasa copioso sanguine, vix non
varicosa turgent; vel in ipsam adnatae tu-
nicæ cellulosa effusus est cruor, oculique
sistit echymosin; atque tunc saepius, saltem
in progressu mali, dolor vix ullus observa-
tur; vel etiam rubori intensior correspondet
dolor. Saepius in febribus (§. 88. 103.) haec
pars conspicue rubet; quin dolor, aut vera
inflammatio subesse videatur; pluribusque,
sanissimis licet, oculi perpetuo rubent, va-
sculisque cruore extensis pinguntur ubique.
Ab effusis in cellulosa oculi tum sanguine
tum lymphæ coagulabili, tumor non raro
insignis hic oritur: ut oculus in cavo orbi-
tae contineri, ac circummoveri, nequens,
ex eodem promineat (Exophthalmia); ac Exophthalmi.
ut palpebrae claudi super bulbo tumidissimo

non possint. Potissima hujus tumoris sedes in conjunctiva tunica est; quae super ipsam non nunquam corneam propendet, et crudae quasi carnis nunc globum tuentibus offert. Si qua febris haec symptomata comitetur; saepius illa inflammationem magis sequitur; quam praecessit. Interdum cum violenta satis ophthalmitide quaecunque febris vestigia desunt. Subinde vel ipsa cornea de inflammatione manifeste participat; sed ut plurimum hanc ipsam non attingit. Pupilla hinc ab interna magis, quam alia inflammatione afficitur: ac in illa, mox angustior ac contracta; mox vero dilatata magis et amplior observatur.

Divisio.

§. 150. Sed varia ophthalmitidis natura est, ac vehementia. Nunc enim *primaria*, nunc pendens ab alio morbo, *symptomata* affectio dici meretur. In his *simplex* est; in aliis *complicata* incedit; febrem hic agnoscit et *acuta* comiparet; illinc vero nec minime febricitant, ac *chronica* magis aut *habitualis* observatur. Nunc vero paucos in civitate, ex causis non similibus *sporadica* invadit; nunc *epidemica* ejusdem est indoles; ac in certis regionibus nativum quasi solum *ende-*

mica agnoscit. De sede hujus inflammationis vel *externa*, vel *interna*, vel ex utrisque *composita* jam dictum est; atque nunc sine ordine ac *vaga*; nunc *periodica* recurrit, ac typum observat.

Ob vehementiam vero ac symptomatum differentiam, varia eidem fere malo imposita sunt nomina:

Levior quidem gradus ac quasi initium, *Táraxis*: ab externis causis, sine tumore, aut dolore incedens, *Táraxis* vocatur.

Superficialis oculi inflammatio, cum ejus *Ophthalmia*. dem rubore manifesto, et cum dolore, ardore, lucis intolerantia et plerumque cum lacrymatione comparens, *ophthalmiae* obtinuit nomen. Ab initio quidem pruritus, et caloris insueti sensatio, ac in palpebris movendis gravitas percipitur. Inter has, et oculum, quasi sabulum haerere videtur. Augetur ardor, rubor, sensibilitas ad lucem; dolor fit acutior, et oculi tanquam ab infixa spina, accedente inprimis nocte, stimulari videntur. Cum lucem inspiciant, magnus ad aures susurrus et constrictio capitis persentitur; obruuntur lacrymis oculi, ac convulsive clauduntur. Matutinis horis puriformis ad internum oculi canthum, densata haeret, tarsosque

que ac cilia conglutinat materies; in lemmas acutas, irritantes abitura. Hinc perpetuo digitorum tactu has ipsas deglubendo, irritationem augent, ac tarsos excoriant. Febris saepe nulla in pulsu detegitur.

Epiphora.

Hanc ipsam vero inflammati lacrymationem oculi molestam, cum genarum abhinc erysipelaceo rubore, vel deformi erosione, *Epiphoram* dixere: quod nomen, ubi puriformis materia in angulis oculi, aut inter tarsos colligitur, aut destillat, Latini in *lippitudinis* illud commutarunt.

Lippitudo.

Cum lacrymarum nihil ex inflammato licet oculo proflueret; tunc iidem Latini *aridae* sibi *lippitudinis* denominationem, ut ab *humida ophthalmia* distinguerent, permiserunt; *xerophthalmiam* Graeci compellant. Interim lacrymarum copia ac puriformis materiae effluxus, a fortissima quavis inflammatione facile diminuitur, aut supprimitur tota.

Xerophthalm.

Chemosis.

Gravissimam, sed externam, bulbi inflammationem, cum rubore insigni, et tunicae adnatae ac albugineae totius tumore super corneam assurgente, *Chemosis* appellatione insigniunt. In hac vero symptomata graviora mox in conspectum veniunt: pondus scilicet super orbita, oculique et capitis in-

Symptomata.

tensus dolor, cum affectae partis pulsatione, ac ardore insigni, saepius cum febre manifesta, ac facile ipsius corneae devastatione, erosione, suppuratione.

Nunc etenim, ab effusa inter istius la- Macula corni
 mellulas coagulabili lymphâ, oriuntur *macu-*
lae, seu *nubeculae*, vel *leucoma*, quae, si
 pupillam obducant, visum ipsum infringunt,
 aut protinus obscurant; nunc vero tum su-
 per albuginea, tum saepius super cornea ipsa,
 elevantur *vesiculae*, seu *phlyctaenae*, quae aut Phlyctaenae.
 exsiccantur sponte ac rumpuntur, aut mini-
 mos in cornea abscessus (*onyx*) relinquunt, Onyx.
 qui, si ulcus in hac ipsa inducant; *helcoma* Helcoma.
 hoc ipsum a Graecis appellatur.

Quotiescunque in oculorum internis in- Phlegmone
 flammatio viget, gravissimus tunc et pericu- oculi.
 li plenus, *phlegmone* vocatur morbus: ab ini-
 tio vel solus, vel ex *chemosi* incremente com-
 positus. Cum parvo hic saepius albugineae
 rubore, summus jam dolor ad oculum, lucis
 intolerantissimum, ac lacrymantem vexat, et
 ad tempora, caputque totum immanis, cum
 pervigilio, saepe cum deliriis, ac maxima
 febre, extenditur. Tantus interdum, cum
 a causa vehementius ac subito agente inflam-
 matio incendatur, tumor oculum hic corri-

Proptosis .

pit; ut palpebris obtegi non queat, et ut, in orbita non amplius cōtinendus, ex eadem propellatur (Proptosis). Iris ipsa nonnunquam rubros spargit colores, ac pupilla vel restringitur admodum, vel subinde dilatatur (§. 149.).

Psorophthalmia .

Quodsi non nisi palpebrarum limbus, vel tarsi, ac in eisdem positae glandulae cum suis canaliculis inflammentur, rubeant, tumentque, vel exorientur; *psorophthalmiae* nomine hoc venit, quae vel in adnatae phlogosin transibit; vel ex eadem originem duxit.

Entropium.

Nonnunquam vero *introrsum* palpebrae convertuntur: quod *Entropium* dixerunt. Hoc in casu, si non desint, cilia, quod et sine Entropio interdum faciunt, in ipsum oculum diriguntur, et eundem saepius inflam-

Ectropium.

mant. *Ectropium* vocant, cum palpebra vel una, vel altera, sub hac rerum conditione *extrorsum* revertitur. Tarsorum versus bul-

Trichiasis.

bum conversionem *Trichiasin* appellant; *Di-*

Distichiasis.

stichiasin dicunt, cum duplex ciliorum ordo, ac unus ex istis in bulbum conversus est.

Blepharophthalmia.

Ipsam vero palpebrarum inflammationem, *Blepharophthalmiam*, — cum vero tuberculum

Hordeolum.

super tarsum compareret, *hordeolum*, — ac

si hoc idem induraretur; *chalazion* saluta- Chalazion:
runt.

Interdum non tam ipse oculus, aut mem- Epiphora.
branae ejusdem; quam aut *lacrymalis glan-*
dula, aut *caruncula* inflammatur. Hoc in ul-
timo casu *angularem* vocarunt *ophthalmiam*: in Ophth angu-
qua, pruritus, dolor, tumor, ac vasculorum laris.
varicositas ad nasalem oculi canthum com-
paret. Ab hac imprimis carunculae phlogosi,
Pterygium, seu tumorem, extensionem vari- Pterygium.
cosam vasorum conjunctivae, oriri dixerunt;
atque si fere semilunaris ac pellucida, tenuis-
que lamina ex cantho super oculi bulbum
extenderetur; *ungulam*, — si vero crassa haec Ungula.
esset, ac rubra; tunc *pannum*, quo vix non Pannus.
totus interdum obducitur oculus, nomina-
runt.

Diuturnam, ac per annos frequen- Ophthalm.
tius quidem, sed absque tanto dolore, chronica.
ac sine febre conspicua recurrentem, utpluri-
mum secundariam *ophthalmiam*, *habitualementem*
atque *chronicam* vocamus. Laxa hic saepius
est vasorum ac cellulosae oculi constitutio;
palpebrarum limbus, seu tarsus, purpureo
induitur colore, purulentam pluit materiam,
nocte palpebras conglutinantem: quae singu-
la nunc fere perpetuo urgent; nunc per vi-

ces oculum aggrediuntur, et ex speciali ad hunc ipsum, acrioris imprimis materiae, confluxu repetenda sunt: quo saepe visus, ab albescente, vel cicatriculis defoedata cornea, pro majori parte arcetur. Frequentius vero communes inflammationis exitus haec ophthalmia, nisi in acutam conversa, non agnoscit.

Maximae vero auctoritatis est, ophthalmidis ex causarum diversitate divisio, ac praecipuas ejusdem species hic adducemus.

Ophthalmia
venerea.

Potissimam sibi attentionem meretur *ophthalmitis venerea*, quae chronicae ut plurimum naturae, ac luis ipsius, non tantos quidem dolores inducens, proles est; matutino tempore remittit; nec tam facile, licet id viderimus, in chemosin transire observatur. Symptomata luis alia, naturam morbi manifestant.

Ophthalm. blen-
orrhoeica.

Ophthalmia Blennorrhoeica, qua oculus rubet, dolet, ac inflammatur, cum epiphora, palpebrarum praemagno tumore, ac copioso ex sebaceis tarsi glandulis effluxu materiae viscidae, puriformis, variique coloris: ei ipsi fere, ex qua suppressa ortum ducit, *blennorrhoeae* materiae similis. Cessat nempe, ut plurimum a frigore locali, vel ab adstrin-

gentibus incautius urethrae hoc in morbo injectis, vel a pathemate animi, puriformis urethrae fluxus; ac ad oculum irritatio, ex eodem, ut videtur, contagio magis, quam a *metastasi* convertitur, maximumque coecitatis periculum, vel paucissimo tempore, inferre consuevit: ut igitur acutissimum haec ophthalmiae species morbum, interdum tamen cum minori violentia, quod vidimus, incedentem medentibus offerat.

Aliam ex *contactu* per blennorrhoeae Ophthg. blenn. ex contactu, materiam, oculo digitorum ope infricatam, notarunt Scriptores ophthalmiam: in qua similis iterum, ac in blennorrhoea, materies oculis effluxisse refertur. Dubium quidem circa hanc acrioris materiae potentiam non alimus; sed toties, quae sub quavis alia oculorum inflammatione oculis prorumpit materia, colorem tum flavum, tum viridescentem nobis obtulit: ut ex hoc solo, differentem ophthalmiae, quam ex omni alia irritante materia oriundae, characterem vix audeamus asserere.

Metastaticae ophthalmiae specimen saepe Ophth. metastatica. nimis offerunt efflorescentiae cutis, herpes, scabies aliae, cujuscunque effectu causae retropressae, morborum reliquiae. Sic frequen-

tissima post variolas, morbillos, scarlatinam ophthalmia est, et frequentem rheumatis ex alia parte super oculum depositionem observavimus.

Alias primariam *rheuma* sedem in oculis figit; aut *catarrhale*, *morbillosum*, aliudque acre ponit, ac inflammationem nunc fere superficialem ac quasi erysipelaceam; nunc vero fortiolem ac profundam inducit. In rheumatico malo, interdum ex facta in aliam partem materiae depositione, celerrima in melius mutatio percipitur.

Inter chronicas ophthalmitides, illa, quae ex *scrophuloso* acri originem ducit, fere frequentior est, infantibus hoc vitio affectis perfamiliaris. Humida haec inflammatio, nec dolens multum esse consuevit. Ipsum oculi bulbum tumuisse, ac ipsam corneam inflammata, vasculisque rubris, sine ulla doloris praesentia, depictam fuisse, in adulto conspeximus. Tumidi et palpebrarum margines, ac viscosa obducti sunt lippitudine; conjunctiva ex pallido rubra est, ac subtumida, lacrymae acriores per genas ruunt; labrum superius, quod tamen et in aliis, non scrophulosis subjectis interdum facit, crassescit; plures hinc inde lymphatici systematis glan-

Ophth. ab
acri.

Ophth. scro-
phulosa.

dulae turgent. Sub his rerum conditionibus cornea facile obscuratur, ac videndi omnis tandem ammittitur facultas.

Interdum in *scorbuticis* lenta oculorum inflammatio occurrit. Sine hac rubentem in oculo echymosin, indolentem quidem; sed cum scorbuti lethalis signis, tum simili ad ventriculum sanguinea suffusione, ac vomitu pertinaci, conspeximus.

Ophth. scorbutica.

Infantes etiam neonati, tum ex vitio scrophuloso, aut haereditaria lue; tum inprimis ex refrigerio, ac latitante in abdomine meconio; vel et a luce vividiori, adversa, incaute admissa, oculorum saepe laborare phlogosi observantur. Tument illis, rubentque palpebrae, ac flava, crassior, et puriformis materies tum ex oculis effluit; tum hos ipsos undique obtegere solet: unde major mox bulbi irritatio, inflammatio, et ad corneam maculae, aut abscessus oriuntur. Aperitis digito, vel infantis ploratu, palpebris; hae ipsae interdum revolvuntur.

Ophth. neonatorum.

Ex ipso *dentitionis* opere gravis nonnunquam invadit oculum inflammatio, inprimis cum dens aut caninus, aut huic vicinior molaris irritationem produxerit.

Ophth. ex dentit.

Frequens, ac interdum, quod et nobis

Ophth. gastrica.

conspectum, epidemica ophthalmitis illa est, quae saburrali originem principio debet, et ex abdomine potissimum derivatur. Signa hic premunt gastrica, et emeticorum, alvumque purgantium virtus aegritudinis indolem manifestat.

Ophth. pe-
riodica.

Periodicas oculorum inflammationes, cum atroci quidem sub paroxysmo dolore, lacrymarum fluxu, pulsuque nunc celeri, forti, ac pleno, nunc naturali; dein vero cum plena symptomatum per datum tempus cessatione, Medicorum fasti loquuntur.

Ophth. ende-
mica.

Endemicas inflammationes oculorum quibusdam regionibus proprias novimus, atque tam volitanti per aerem subtiliori arenae; quam reflexis a nivibus aliisque objectis in oculos radiis; vel causis etiam hucusque incognitis originem debent.

Hypopyon.

§. 151. A fortiori, eaque interna potissimum, inflammatione oculi, vel *puriformis materies*; vel ex abscessu corneae, iridis, uveae, coronae ciliaris, *pus* ipsum, inter corneam, iridem ac lentem, seu in cameris oculi tum anteriori, tum posteriori, colligitur, nasciturque *hypopyon*, aut *oculus purulentus*. Subinde non tam ipsius oculi inflamma-

tio, quam *metastasis* in eundem facta, hoc vitium genuit. In triplici hoc casu per corneam, nisi violenta inflammatione obfuscatam, transparet contenta in cameris materies, ac albescente, cinereoque colore translucet. Videndum tamen est, ne simplex forsitan *Nephegium*, aut pellucidate quadam non destituta corneae macula, vel *Albugo*, vel *Levcoma*, seu corneae obscurior macula, vel et exteriora ejusdem ulcuscula, pro latente in oculis pure imponant; quod obliqua eorundem, et ex latere instituta inspectio, tum praecedentium symptomatum, causarumque consideratio praecavebit. Ipse quidem oculi bulbus in hypopyo volumine augetur et turget; sed imprimis cornea extensioni cedit, ac prominet. Nunc vero, quod rarius est, inter lentem, iridemque purulenta, vel in camera posteriori magis collecta materies (*Empyesis*), iridem ipsam ad anteriora propellit, corneaeque tunicae viciniorem reddit: unde cum eadem aut concreseat (*Synechia*); aut, si forte cornea ipsa vel sponte, vel arte rumpatur, *prolapsus iridis* contingat; nunc in anteriori oculi camera purulentum haeret; segniorque motus pupillae est; haec ipsa lenti propior haeret, ac a cornea divulsa. *Utriusque*

Nephegium,
Albugo, &
Levcoma.

Empyesis.

Synechia,

Iridis prolapsus.

tum utramque cameram purulentus humor,
 cum fluidis oculi remixtus, replet, radio-
 rum per illum transitus impeditur, visusque
 languet, aut perditur omnis. Si per ipsam
 oculi inflammationem vel *puriformis* materies,
 vel *pus* ipsum generetur; ingens ut plurimum
 tam febris, quam dolor, ac singula fortioris
 tum chemosis, tum phlegmonis symptomata
 praecedunt, ac tandem sedantur quidem, ac
 intensitate decrescunt; sed remanet gravedi-
 nis ad oculum, ac tensionis, cum ejusdem
 tumore, sensus. Interdum purulenta materies
 non in ipsis oculi cameris; sed inter mem-
 branarum istius cellulas, ac in separato ab
 illis cavo continetur: quod *abscessus* oculi, non
 hypopyon, in quod tamen transire facile po-
 test, nominabitur. Si per *metastasin*, puru-
 lenta materies tum in oculorum cava, tum
 inter ejusdem membranas deponatur; tunc
 plura desunt interdum ophthalmitidis signa,
 vel factam jam metastasin tardiora sequun-
 tur.

Abscessus o-
 culi .

Haemophthal-
 mus .

Sed vel ipsius interdum ophthalmitidis
 violentia, licet hoc et alias ob causas con-
 tingat, vel ipse *sanguis* in oculi colligitur
 cameris (*haemophthalmia*); vel aquosi ista-
 rum liquores in immensum augentur, nasci-

turque *hydrops oculi acutus*, vel *hydrophthal.* Hydrophthal.
mia acuta, cum chronica, quam alibi descri-
bemus, minime confundenda. Interdum,
non tam aquosus oculorum humor; quam
vitreus, ex causa nunc inflammatoria, nunc
alia; — vel ipsa demum *lens crystallina*, vel,
quibus includuntur, capsulae, obscurantur,
ac naturalem pelluciditatem amittunt. In
primo casu, *glaucoma*; in altero *suffusio*, Glaucoma.
pochyma, vel *cataracta*, haec vitia appellan- Cataracta.
tur. Alias totus fere oculus, post violentas
inflammationes; *pseudomembrana*; ex coagu-
labili lymphâ conflata, involvitur; ast vero
frequentius, tum ex inflammatione, tum alias
ob causas, cornea ipsa in parte condensatur,
et quam maxime interdum prominet: ut pal-
pebrae motum aut impediat; aut varias in
eadem irritationes excitare observetur. *Sta.* Staphyloma.
phyloma hoc malum, nunc *simplex*, nunc, ob
plura, sibi vicina tubercula, *racemosum* appel-
latur.

§. 152. *Causae* ophthalmitidis vel ex ipsa Causae.
specierum expositione luculenter satis quam-
plurimae patent. Omnes vero recte divi-
duntur in illas, quae oculum immediate affi-
ciunt; et in illas, quae non nisi per con-

sensum offendunt, tum ad externas tum internas revocandae. Exterius agunt plaga, ictus, concussio, compressio, operatio cataractae, fasciae post hanc ipsam diutius relictæ, comprimentes, calefacientes, pulvis, sabulum, fumus, vapor, pilus inversus ciliarum, corpora peregrina oculum inter et palpebram haerentia, aura frigida, borealis, liberius oculis admissa, splendor nimius objectorum, lectio, imprimis scriptio nocturna, reprimentia, vel spirituosa, oculo leviter inflammato inconsulto adhibita. Causae internae tum illae sunt, quas alibi (§. 125.) exposuimus, generales; tum imprimis catarrhus per nares ad oculos extensus, morbillorum praecipue, ac variolarum virus, erysipelas, herpes, crusta lactea, tinea, scabies, ophthalmia saepius praegressa, vitia scrophulosa, venerea, rheumatica, blennorrhoea, metastases, cruditates primarum viarum, epidemica constitutio, dentitio, caries dentium, consuetique pridem tabacini pulveris ommissio, sanguinis ad caput congestio, plethora specialis, etc.

Prognosis.

§. 153. Ophthalmitidis prognosis, ex dictis satis elucet, ac pro diversa ejusdem

causa, sede, vehementia, subjectique natura, diversissima est. Symptomata, nisi morbo primario expulso, curationem vix admittit; sed, hoc licet facto, remanet tamen perpetua interdum in hos morbos dispositio. Unius inflammatio, in alterum facillime transire oculum observatur. Phlegmone oculi exitum frequentius infestum, ac saepe suppurationem, vix unquam gangraenam; interdum carcinomaticum oculi tumorem inducit. Frequentior, et huic inflammationis speciei proprius est exitus, humorum oculi perturbatio, inspissatio, obscuritas, vel corneae opacitas, ipsiusque interdum oculi ruptura. Quae sicca est; illa prae humida fere difficilius curatur ophthalmitis: scrophulosa vero, et quae chronica est; illa, licet minus periculosa, vix curam admittit. Saepe vero hic morbus, ut signum, pejor, quam per se ipsum foret, observatur. Veneream, a scorbuticam ophthalmiam, latens in orbita caries, aut exostosis, immedicabilem interdum reddit; alias pejor est, quae a suppressa blennorrhoea originem ducit. Alvi demum fluxus non raro hunc morbum dissipavit.

Cura.

§. 154. Ophthalmitidis verae ac idiopathicae cura, si febris inflammatoriae signa simul observentur, cum illa inflammationum aliarum (§. 133.) conspirat, ac quo gravior affectio est; eo citius, ob visceris nobilitatem, brevique mora timendam organi subtilioris destructionem, venaesectio sat ampla instituenda; sique symptomata exigant, repetenda venit. Nec ob ruboris absentiam externi (§. 150.), hoc auxilium negligatur oportet: utpote in latente ac interna magis, quam in alia quacunque inflammatione oculorum, necessarium. Si febris defuerit, ac plethorica constitutio; tunc raro fortiores indicantur venarum sectiones; sed localis vasorum, praemissa interdum vel unica generali venaesectio, per hirudines depletio, aut cucurbitularum ad tempora applicatio, potissimum indicatur.

Pauciores quidem sanguisugae saepe magis irritasse, quam oculis auxilio fuisse nobis visae sunt; et quas ad inferiorem palpebram hirudines applicamus; eas, ob tenebram, spongiosamque cutis naturam, echymoses, lividasque circa oculum relinquere maculas observamus. Hinc ad tempora, vel circa oculos, excepta regione inferiori, vel

quindecim, aut viginti applicamus hirudines, sanguinemque libere ex vulnusculis defluere permittimus. In fortiori conjunctivae inflammatione, non quidem rudior, irritansque veterum *ophthalmoxysis*, seu illius membranae per spicas secalinas vulneratio; sed repetita cum scalpello vel internae palpebrae inferioris superficiei, vel ipsius adnatae tunicae scarificatio quam optime suscipitur; ac si laxa et quasi in saccum pendens membrana haec turgeat; ejusdem per cultrum excisio, licet quibusdam reprobata, cum fructu instituta fuit. Temporalis sectionem arteriae, ut incommodam (§. 146.), et hic rejicimus.

Interea quicumque ophthalmitide laborat; oportet illum in obscuriori degere loco, omnisque lucis accessionem aut oculorum intensionem evitare. Tenue linteum oculis inflammatis superimpositum, pro tegmine sufficit; fasciarum usus, et quaecunque partis compressio nocet. Convenit vero et sanum simul obtegere oculum, omnemque ejusdem contactum evitare, ac stagnantem in oculorum canthis acriorem lympham cum tenui, emolliente decocto, aut lacte imbuta spongia interdum abstergere.

Nec coetera, quae in aliis inflammatio-

nibus laudavimus, remedia (§. 133.), in ophthalmitide negligenda sunt.

Vesicantia.

In fortiori malo, sedato per venaesectiones, tam generales, quam locales, inflammatione, — inprimis si rheumaticum, catarrhale huic ipsi occasionem porrexerit acre; vel ipsis ab hirudinibus, aut scarificatione, temporibus inflictis vulnusculis, vel nuchae, imponitur vesicans. In longiori, hac a causa derivanda phlogosi, setaceum ad nucham egregie conducit.

Emollientia.

Si vero major oculorum, palpebrarumque sensibilitas, tensio, ac calor observentur: tunc, detracto jam satis sanguine, aut vapor tepidus aquae, — aromaticis herbis et floribus impraegnatae; tum malvae, vel althaeae decoctum, lac tepidum, aut gummi arabici tenuis solutio, tum cataplasma anodinum, paucissimo pondere adhibitum, nisi diuturno usu contraria, exterius quam optime proficiunt.

Opium.

Sed et ipsum *opium* in vino solutum egregios hic effectus habuisse conspectum est. Hinc vel tincturae thebaicae, N. XVIII. vel laudani liquidi duas, tresve guttulas, semel in die, oculo instillare convenit: quo dolores quidem per breve tempus augentur; sed vi

remedii tum excitante, tum sedante, melius interdum, quam remedio quovis alio, tum in acuta, tum in chronica affectione, praemissis in illa venae sectionibus, auferuntur.

Pediluvia tepida in quovis nimio ad Pediluvia:
oculum appulsu conveniunt; quo tempore, rasis prius ad caput capillis, hoc ipsum frigida lavari utiliter potest.

Adstringentium usus in fortiori ophthalmide, perniciosus admodum, ac in majori Adstringent.
oculorum rubore, tensione ac dolore evitandus. In laxiori horum statu, et si contusio externa praecesserit; vel in leviori phlogosia catarrhali causa exorta; vel demum in *chronica* potissimum inflammatione, roborantia externa egregios non raro effectus produunt. Simplex frigida, eaque per destillationem obtenta, vel saltem non alienis impraegnata, coeteris fere palmam eripit remediis. Alias huic ipsi, vel succi citri aliquot guttulas, vel salis saturnini, aut vitrioli albi, aut, quod praeferri meretur, aluminis, grana aliquot (N. XIX.) superaddere convenit; vel aluminis portio cum albumine ovi convasata, per noctem superimponitur palpebris; atque sic infinitus fere *collyriorum*, unguentorum est numerus: quae, cum uni aut alteri

auxilium tulerunt, non raro alium, sine causa satis aperta, divexant in alio oculum; et si acrior ad eundem confluxus excitaverit malum; frequenter hoc idem exasperant, et corneae maculas, ulcera, ac coecitatem interdum relinquunt.

Psorophth.
cura.

Psorophthalmia, locale, ac a causis internis non oriundum saepius malum constituit. Huic ipsi *unguentum citrinum* (N. XX.), vel unguentum ex butyri recentis uncia una cum dimidia, ac mercurii praecipitati rubri drachma una, solicite inter se commixtis, utiliter opponitur, parvaque ejusdem portio, unica per diem vice, tarsi molliter infricatur. Matutino tempore cum lacte tepido, sine impetu, oculus eluatur oportet.

In purulenta *neonatorum* ophthalmitide, remotis ipsius mali causis, lac recens et sanum, ex ubere matris, nutricis, instilletur oculis, aut ope parvae syringis, ex elastico gummi felicius parandae, sub palpebris tepida, vel et malvae decoctum injiciatur. In fortiori affectione, vitrioli albi tenuior et aquosa solutio, absque violentia, immititur oculis.

Ophthalmitides *symptomticae* curantur, morbi, a quo pendent, prudenti medela, vel ad partem, unde ad oculum pertigerat, revocatione.

Sic ex primis viis oriunda oculorum inflammatio: per emetica et purgantia; — quae ex venerea lue: per mercurium rite, atque tum interius, tum exterius subministratum; scorbutica ophthalmia, illis quae scorbuto adversantur; — scrophulosa vero, licet ubique difficulter, remediis ex antimonialium classe, peruviano cortice, cum calomela remixto, salibus mediis, diuturno usu adhibitis, balneis maritimis, ac spongiae hac in aqua vegetantis lixivio, interdum persanatur. In rheumatica inflammatione, si febris accedat, antiphlogistica methodus, et demum antimonialia, refracta dosi porrigenda, serum lactis, dulcamarae decoctum, et alia hoc in morbo alibi commendanda remedia, imprimis vero vesicantia, setacea, fonticuli, praescribi merentur. Quae a retropulsa blennorrhoea ortum habuit ophthalmia, ea restituto iterum per candelas antiquo fluxu, solisque demulcentibus, abacto prius inflammationis periculo, percuratur, nec mercurialibus, nisi complicata, indigebit. Si periodos observet ocu-

lorum inflammatio, et ad legitimas intermittentes pertinere videatur (§§. 68.): tunc eandem, quam istae, per corticem, curationem admittit. Natam ex retropressa scabie inflammationem, hac ipsa per novum contagium, vel insitione, vel scabiosorum cohabitatione revocata, ac remediis transpirationem promoventibus, antimonialibus, aliisque, imprimis balneis, dissipamus; peregrinum corpus chirurgicis ex oculo trahendum, eluendum est subsidiis; irritantes oculum pilos, evulsione, vel emplastro glutinante, externae palpebrae imposito, pilosque rebelles figente, vel demum cutis palpebrae pro parte excisione, ac cicatrice tarsum superiora versus dirigente, ab oculo auferimus, aut avertimus, etc.

Sequelar. cura.

§. 155. Sequelas ophthalmitidis (§§. 150. 151. 153.) Chirurgia magis, quam ipsa Medicina pertractat: qua tamen saepe, ob causarum internarum naturam, carere Chirurgus non potest.

Hypop.

Ad *hypopyon*, oculi, nunc cum solis emollientibus pertractatio, nunc vero ejusdem matura satis perforatio, nunc sectio proposita, — ab aliis rejecta est. Observatio sci-

licet docuit: purulentum oculum, vel a solo corporis motu, vel ab usu emollientium, praeter opinionem, claritatem pristinam interdum acquisivisse. Hoc certe, cum *pus* verum, et ex abscessu veniens in cameris latuerit; vix unquam contingere; — aliud vero, si *puriformis* humor (§. 128.), aut metastasis aquosos oculi perturbaverit humores, dicendum; nec impossibilis in utroque hoc casu resorptio videtur. Contingit haec subinde ad quaevis alia corporis cava; nec, cur ad oculum fieri non possit, perspicimus satis. Quodsi igitur signa purulenti in oculis liquoris celerius, ac tempore, quo vix abscessus nasci potuisset, vel sub fortiori phlegmone, vel sine omni inflammatione, per materiae ex parte longinqua raptum, comparuerint; juvabit utique, priusquam ad oculi sectionem perveniamus, emolliente ex malvae decocto fotu, ac spleniolis eodem imbutis, ad oculum positis, nec non evacuantibus, ac aliis, resorptionis tentare vias; ac tandem, nisi haec obtineri sat prompte possit, — in casu vero latentis abscessus continuo, ad corneae ipsius incisionem descendere: atque sic spontaneam oculi rupturam, qua coecitas ipsiusque ruina oculi

induceretur, maturo satis praevēnīre consilio.

Corneae maculas (§. 151.), si profunde in oculum descendant, aut cum excavatione membranae cicatricem offerant, difficulter, si unquam abigimus. Frequentissimum ex variolis *leucoma* est, quod, sicut aliud quodcunque, ubi superficiem corneae vix penetrat; tum revellentium, tum aliorum, nucis juglandis scilicet olei non rancidi, aut fellis *mustellae fluviatilis* vel *lacustris*, aut *lucii* piscis, aut alterius usu, tum erodentium inprimis ope, nonnunquam auferitur. Hunc in finem non minus, quam ad *pannum*, *ungulamque* dissipanda, tum albissimi pulverem sacchari, tum alium, ex hoc ipso, cum aequali cremoris tartari, bolique albae portione remixtam, quotidie paucissima quantitate, maculato corneae loco inspergimus; vel staphyloma tum lapidis infernalis solutione, tum butyri antimonialis guttula, penicillo tumori illinita, recentiorum methodo, quae et nobis profuit, exedimus caute: quem ad scopum et mercurii corrosivi granum unum, in quatuor aquae destillatae unciis solutum, a nonnullis cum fructu adhibitum fuit. Prominentes admodum corneae maculas et staphylo-

mata interdum cultro feliciter , lentoque labore , remanente semper aliqua hujus membranae obscuritate , abstulerunt Chirurghi .





O R D. I. G E N. III.

OTITIS.



Nobilitas au-
rium.

§. 156. **S**ensilissimam et aures humani corporis partem constituunt, cerebroque non minus, quam oculi, vicinam. Nervorum hoc quidem organon adeuntium potestas in totum, vel ex solo, quem concentus ac harmonia in animam, et in circulationem exserit, effectu, luculenter apparet; sed insigne commercium, quod eosdem inter et faciei, linguae, oculorumque nervos tam conspicue observatur, hanc partem corporis, ut sensationum plurimarum januam, et ut malorum sedem in coetera longe dominantem respicere jubet.

Inflammatiō.

§. 157. Cum vero tot morbi causis aures continuo pateant; plurimae ex istis nunc atrocissimos hic loci dolores, quibus *otalgiae* nomen, — mox saevam inflammationem, cui

otitidis appellationem dederunt, excitare observantur. Mox externa tantummodo aurium concha inflammatur, et nisi per meatum externum haec affectio, ut plurimum erysipelacea, penetret; rarius tam magna, neque alia fere, quam erysipelatis symptomata comparent. Mox vero absconditas aurium partes, atque vel meatum ac tubam, ad easdem ducentes, vel interna hujus organi loca inflammatio pessumdat.

§. 158. Atque haec ipsa internae auris Definitio. inflammatio est, quae potissimum *otitidis* sibi nomen promereatur: in qua, ut plurimum sine tumore exterius conspiciendo, dolor ardens, gravis, tensivus, lancinans et pulsatilis ad aurem, cum febre ut plurimum intensa, cephalaea, tensione capitis, pervigilio, inquietudine, ejulatu continuo, cum auditu acutissimo, aut obtuso, et apud adultos saepius cum deliriis, convulsionibus, ac lipothymia, observantur.

§: 159. Haec vero symptomata (§. Symptomata. 158.) tam rapide sibi interdum succedunt: ut vel in ipsa definitione morbi, jam tota ejusdem lateat historia; vel superaddito au-

ris tormento, vix non omnia *encephalitis* acutissimae (§. 140,), quae non raro ad otitidem accedit, produntur symptomata: ita ut jam primis morbi diebus, nisi discutatur morbus, sub exili et frequentissimo pulsu, ac sub atroci ad occiput, oculos, buccarum musculos, et tempora, dolore, phrenesis violentissima, et convulsio, et sopor, et loquelae defectus, et extremitatum frigus cum syncope, ac mors demum ipsa, insequantur.

Saepe interim non sub tam gravi res aspectu incedit; sed dolor, primum mitis, per gradus intenditur, ac febris vel antecedit, vel sequitur affectum; aegrotus aliquam, matutino imprimis tempore, doloris remissionem persentit; pulsus pleni, nec semper tam frequentes, sed vibrantes ac duri, interdum contracti, cum urina multa et cruda; facies rubra, et magna, nec tamen continua, cephalaea; auris affectae susurrus, ac tandem rubedo exterioris conchae, cum singulis febris continuae attributis, observantur; donec aut sexta fere, aut octava die, interdum citius, fere singula increscant symptomata; ac tandem aut serosa ex aure materies, aut pus ipsum sanguinolentum, tum

per meatum externum, tum per tubam ad fauces, cum summo mox symptomatum levamine, expellatur; ac sudor aequalis, per totam corporis superficiem vaporosus erumpat.

§. 160. Tum *otalgiae*, tum *otitidi* com- Causae: munis fere, et nonnisi gradu distincta origo habetur, atque ad causas vel externas, vel internas spectare observatur. Nunc enim irritatio ab illapso, aut intruso corpore peregrino, piso, faba, cerasorum nucleo, globulo plumbeo, alio, ab insectis aurem ingressis, ab eorundem ovulis in illam depositis, ac temporis, calorisque ope evolutis, a frigido, ex adverso auribus admissio vento, ex ceruminis exsiccatione ac duritie nimia, a concussione, alapa, vel a cranii laesionibus, vulnere, ac ossium carie, ab auriscalpiis, ac nimia munditiei cura; — nunc vero membranae hanc osseam specum investientis, dividens, aut aliarum partium catarrhalis, ac rheumatica affectio; depositio ad aurem arthritica, variolosa, morbillosa, achorosa, scabiosa, venerea, erysipelacea, scrophulosa, metastatica; dentis molaris in pueris eruptio difficilis, aut in adultis caries; inflam-

mationum causae communes aliae (§. 125.), imprimis narium haemorrhagia suppressa, variique spasmi, hysterici, hypochondriaci, — causam horum affectuum potissimam sistunt. Non tam raro sordes in primis viis stagnantes, et hujus sibi partem inflammationis assumunt.

Prognosis :

§. 161. Otitidis pericula jam satis ex dictis (§. 159.) patent; et cum oculorum vitia intra ipsos nocent; aurium inflammationes doloresque interdum etiam ad dementiam mortemque praecipitant. Interim ab otitide natu minores citius intereunt senioribus; ac pauci interdum dies in utrisque certe, affectu vel ipsi tandem cerebro communicato, vel per solum consensum, ad mortem sufficiunt. Crebrius in otitide resolutio per transudationem purulenti liquoris, ejusdemque subitanam excretionem obtinetur. Suppurationem hanc ipsam dixere; sed vidimus frequenter, jam post viginti quatuor, aut quadraginta horas, quo tempore abscessus supponi haud potuit, illam contigisse. Frequentior omnino suppuratio vera hoc in morbo, quam in alio quovis, observatur: atque tunc ulcus in auribus non raro supermanet,

quod curationi pertinaciter per vitam interdum resistit, strepitumque perpetuum, ac repetitas inflammationes, surditatem, nec non continua cariei pericula inducit. Vidimus sub hac ipsa, fortissima ad omnes portionis durae auditorii nervi propagines, ad os temporis, ad malam, nares, ad oculum, labium inferius, ad linguam, incommoda, dolores maximos, ac ipsam denique paralysin. Alias ad ipsum calvariae cavum erosio penetrat, et cum lethali eventu suppuratio encephalo communicatur. Sed interdum per internae auris suppurationem tum ipsum tympanum, tum subtiliora auditus destruuntur organa, et immedicabilis hac in parte surditas inducitur. Subinde felix per tubam Eustachii tum puriformis materiae, tum ipsius puris, depletio contingit.

§. 162. Non aliam otitis, quam vehe-
 mentissima quaevis, inflammatio (§. 133.) po-
 tissimum vero ac ophthalmitis (§. 154.) sibi
 curam expostulat. Hinc prompta, saepiusque
 repetita venaesectio in vera auris inflammatione
 potissimam opem spondet, et magna hirudi-
 num, aut cucurbitularum post partem affectam
 positarum hic virtus observatur. Interim


Cura :

causae latentis praecipua habenda est ratio, et quod irritationem hic loci inducit; hoc, si stimulum operatio non augeat, majori cura mox auferendum, insecta vero, si, quod nobis in forti otalgia licuit, educi non possint; vel oleo, vel absyntii, aut ledi palustris succo, aut melle, gossypio suscepto, cautissima manu necanda sunt. Ab hoc vero, emollientissima inflammatae auri admovenda sunt remedia, eaque ex lacte, decocto malvae, tum auri externae per spongiam, aut cataplasmatibus anodini sub forma, applicanda; tum, si magis interna videatur inflammatio, in faucibus diutius detinenda sunt. Ipsi etiam externo auris meatui tum lac tepidum, tum seminum cydoniorum, vel gummi arabici mucilago quidquam diluta, ac tepida, — superaddita, si spasmi violentia extremi sic jubeat, opii moderata portione, instillanda, injectiones vero, ut stimulantibus nimis evitandae sunt.

Interea nitrum, potumque copiosum acidiusculum, ac, si gastrica signa occurrant, evacuantia lenia ex tamarindis et cremore tartari N. XXI. propinamus, alvumque alias clystere servamus apertam.

Suppuratio auri, quam praevenire hac

methodo non licuit, solícite promovenda, et, ne in ulcus impurum, ac in surditatem, aut cariem terminetur, curanda est. Cum igitur ex doloris augmento, pulsatione, gravitate, calore, distensione majore, praesentem jam agnoscimus suppurationem: tunc vapor tepidus in aurem mittendus, aut haec ipsa cataplasmate emolliente continuo fovenda est. Puris ex abscessu disrupto effluxum juvat positio frequens in aurem affectam, ac repetita hujus, cum decocto hordei et paulillo mellis despumati, lotio, aut moderata injectio. Ad insecta aestatis tempore ab aure suppurata tutius avertenda, tenui haec ipsa bysso obtegenda, nec ichoris effluxus foetidusque vapor praefocandus est.



O R D. II.

INFLAMMATIONES JUGULARES.

G E N. II.

G L O S S I T I S .



Raritas morb. §. 163. *LINGUAE* substantia frequentius sub ciborum incauta masticatione, dentisque acutioris aut cariosi actione, vel sub fortioris insultu epilepsiae, vesparum ab ictu, a variolis, aphthis, a methodo mercuriali, sub anginis, a latente interdum calculo, a frenuli post partum laesione, irritatur, vulneratur, eroditur, turget, ac intensius dolet. Nativitatis interdum haec particula vitio insigniter aucta, vel oedemate tumet, aut scirrho volumine crescit. Sed vera, et primaria linguae inflammatio, tum aliis raro, tum unico nobis, cum haec ipsa scribimus, exemplo comparuit.

§. 164. Hic linguae status (§. 163.) *Symptomata.*

glossitidis nomen obtinuit, atque in subitaneo fere, ac insigni, nec tamen a praedictis causis pendente hujus partis dolore, duritie, rubore, tumore, oris hiatu, cum febre intensa, salivatione, screatu, tussi continua, loquela, deglutitionis, respirationis difficultate, ac continuis vigiliis consistit. Frigus intensum, longumque aegrotantem, quem conspeximus, atque calor magnus, cum praesente mox linguae affectu invasit. Sequebatur jam primis morbi initiis linguae sub motu summopere dolentis tumor, durities, rubedo, siccitas, ardor, ac magna sub attactu sensibilitas, loquela impotentia, cum summa deglutitionis necessitate, difficultate. A perpetuo nempe tenacioris pituitae, ac salivae in faucibus, dolore affectis, confluxu, sub oris, a volu nine linguae vix non deleta capacitate, ac mandibularum hiatu, importuna salivatio, screatio, aut anxia et validissima tussis, quietem ac somnum demebant omnem; caput interea dolebat; nec tamen facies, quod alii observarunt, rubra; sed, cum lacrymante oculo, pallida, sudore obtecta, et tristis comparuit; nec ex ore lingua, ut in aliis, propendit; sed, fere

immobilis, palatum, hiansque buccarum antrum omne, a dentibus utroque ex latere excoriata, replevit; nec demum respiratio, quae per nares potissimum fiebat, difficilior, nec deglutitio in totum ablata, quod sub futuro morbi incremento facile praevidebatur, hucusque terrebant. Pulsus hac sub rerum conditione duri, vibrantes, magni, ac frequentes erant, urgebat sitis, appetitus languabat, ac major corporis universi calor, et siccitas aderant.

Interea febris, licet manifeste inflammatoria, diversis tamen horis remisit, ac post has, iterum increvit. Quarto morbi die lingua copioso lymphae cooperta fuit coagulo; et sexto, sudor per universum corpus, ac urina cum lateritio sedimento apparuit; quo factò, symptomata glossitidis remiserunt, ac paucorum spatio dierum, sua linguae molities, ac pristina aegrotanti salus fuit restituta.

Causae . §. 163. Causae hujus morbi non aliae, quam illae, quae coeteras partes inflammant (§. 125.), imprimis rheumatica, accusandae esse videntur; comparuitque hoc communicato nobis glossitidis exemplo, quae nuper, dispa.

disparente ad hepar inflammatione rheumatica, in conspectum celerrime venit.

§. 166. Si resolutio hoc in affectu quid- Prognosis.
quam graviori non prompte succedat; sup-
purationis non modo, sed antequam haec
ipsa contingere queat, suffocationis pericu-
lum instat. Febris, quae et hoc in morbo
non ejusdem semper indolis esse videtur,
ob potus impossibilitatem, necessario accen-
ditur magis; ac alimenti cujusvis denegatus
ad ventriculum transitus, licet sub majori
febris intensitate illius vix tanta necessitas
subsit; ad gravitatem nihilominus sympto-
matum non parum contribuet. Frequentior
linguae scirrhus, vix rariorem pro causa
glossitidem agnoscere videtur.

§. 167. Ad haec pericula (§. 166.) Cura.
ab aegrotantibus avertenda, methodus in qua
vis vera inflammatione laudata promptissime
adhibenda, et sanguis tam ex brachio, quam
inprimis ex jugulari, quod cum summo suc-
cessu a nobis factum est, et per hirudines
circa mentum appositas, frequentius detra-
hendus est. Raninarum sectio venarum, quae
plurimum hoc in morbo promitteret, ob tu-

mentem ubique linguam institui nequiebat. Interea cataplasma emolliens circa collum molliter ponendum, ac vapor ex aqua et aceto frequentius ore hauriendus est. Lactepidum, aut emolliens decoctum cum melle et nitro, vel ore teneatur; vel, si ob linguae molem non possit; sine majori injiciendum est impetu. Tandem et vesicans non largum sub mento posuimus; ac evacuans alvum Medicina, non fortis certe, quae febrim auxisset, difficulter licet, assumpta, et praeterea alvus frequenter clystere sollicitata est. Cum suppuratio tumoris observetur; haec ipsa fovenda, et mature satis aperiendus abscessus est. Si fames urgeat; aegrotus per nutrientia sustentandus enemata; nec non ipsa, quae ore assumi vix possunt, medicamenta, hac demum via injicienda sunt.

Sub instanti suffocationis periculo, tum ipsius linguae, licet durissimae, scarificationem, — tum, si nec hoc quidem sufficiat; tracheotomiam proponimus.



O R D. II. G E N. II.

C Y N A N C H E.



§. 168. **C**ommunis pro aere, ac pro ali- Instituti rat.
 mentis ad fauces via, — maxime composita tum
 deglutitionis, tum respirationis functio, —
 ac instrumentorum pro utroque hoc opere
 perficiendo, perfecta conspiratio est. Ex hoc
 patet, morbos faucium ac laryngis, tam saepe
 inter se communicantes, separatos ab in-
 vicem non facile posse pertractari. Interim
 ipsarum affectionum, quae his in partibus
 occurrunt, sat naturalis in illos instituitur
 divisio; qui, vel ex spasticis magis, aut me-
 chanicis obstaculis, tum *asthma tracheale*,
 tum *disphagiam* inducunt; vel ob natam tum
 in faucibus, aut pharynge, tum ad laryngem
 inflammationem, aut deglutitionem impediunt;
 aut respirationi obsunt; aut utrique functioni
 minantur. Hos ultimos, sub *cynanchis* deno-
 minatione, hic examinabimus; atque illos,

quo loco magis conveniet, in sequentibus exponemus,

Definitio.

§. 169. Est autem cynanche affectio faucium, ac partium adjacentium, cum inflammatione ac febre, quam impedita et dolens deglutitio, vel respirationis difficultas, vel utraque simul, comitatur.

Sympt. gener.

§. 170. Generalia *cynanchis* symptomata sunt vel ea, quae inflammationibus observantur communia; vel ea, quae ab impedito aeris, ciborum, potus per fauces transitu; aut a sanguinis per venas jugulares intercepto reditu, et a lymphae in proprio vasorum systemate congestionem oriuntur.

Symptomata quae ex inflammatione hic loci proveniunt, sunt: vel tumor, rubor, ac dolor externus, deglutitionem aut respirationem impediens; vel rubor, tumor, et dolor, ad tonsillas, fauces, velum pendulum, ac radicem linguae sese manifestans; vel similis ad pharyngem affectio; vel internae demum laryngis inflammatorius habitus.

Symptomata, quae ab impedito aeris in pulmones descensu, et ab alimenti necessarii potusque negato transitu nascuntur, sunt va-

sorum capitis inflatio, ac humorum ad encephalum congestio, sopor, deliria, extravasatio, oedema, livor, suffocatio prompta; vel totius debilitas machinae, et sanguinis, aut lymphae, recenti fluido non renovatae, morbosa mutatio.

§. 171. Si cynanchis sedem consideremus; erit haec vel *interna*, atque nunc ad tonsillas, velum pendulum, uvulam, radicem linguae, palatum, vel ad *pharyngem* ipsam: quas singulas partes sub *faucium* nomine comprehendimus; vel ad ipsam *laryngem* ac *tracheam* haerebit; — nunc vero *externa* magis conspicietur: quam, non adaequata satis denominatione, *parotideam* vocaverunt. Si febris, cynanchen comitantis rationem habeamus; potest illa nunc *inflammatoriam*, nunc *gastroicam*, nunc vero *nervosam* ac *malignam* assumere naturam. Sub his febribus interim cynanche non semper principalem morbum, sed interdum non nisi symptoma febris constituere observatur. Nunc etiam inflammationis causa ad ipsas, quae eadem laborant, partes haeret; nunc vero ex alio in fauces loco actionem exercet: ut igitur cynanchis in *primariam* ac in *secundariam*, in ipsa rerum

Divisio.

natura posita sit divisio. Frequentius vero cynanche *epidemico* more grassatur; et, ex generali causa producta, popularem morbum exhibet. Alia etiam cynanche *habitualis* fit, et aliarum ut plurimum affectionum, quales nempe ex scirrho, carcinomate glandularum colli, palati, vel ex convulsionibus, ex phthi-
si pulmonali, ex paralyti faucium, ex lue venerea, aliisque sub morbis observantur, *sym-
ptoma* constituit.

Cynanche fau-
cium.

§. 172. *Cynanche faucium*, quam *synan-
chen* Graeci, *tonsillarem* dicunt alii, frequen-
tissima inter omnes occurrit, ac depressa lin-
guae radice, ad fauces luci obversas, in
conspectum facillime cadit. Nunc autem ad
sinistra, nunc ad dextra magis inflammatio
tonsillae, membranae faucium mucosae, ob-
servatur; mox per totam faucium distribuitur
superficiem, partesque singulae tunc rubent,
tument, ardent, siccescunt, aut puriformi ac
albescente muco obducuntur; sub quavis
partium istarum agitatione, imprimis sub de-
glutitionis opere, dolor insigniter crescit, ac
interdum cibi, potusque per nares regurgi-
tant, nec pharyngem adire queunt; vox rau-
ca, vel acutissima, vel nasalis observatur.

Difficilius ut plurimum liquida deglutiuntur, quam solida; ac perpetua screationis, aut salivae, mucii ad fauces ruentis, vel paucissimi, dolensque summopere deglutiendi necessitas est: unde vel continuus ex ore fluxus ac salivatio adest; vel aegrotus, ob instantem suffocationis metum, ac ob tussim, vix ullo indulgere somno inquietus potest. Sub deglutiendo saepe acutus per aurem dolor, et crepitatio magna percipitur; vel gravius interdum audiunt. Nausea quoque a faucibus per viscidiorum, acriorem mucum titillatis excitatur.

Interea dolores cum febre augentur, calor incenditur summus; rubet, livet, inflatur facies; prominent, splendent, fulgentque oculi, cephalalgia, jactatio, vigiliae, vaniloquia interdum obscura, vel delicia summa, alvus obstructa, sitis ingens; ac si faucium tumor laryngi vicinae communicetur; respirationis maxima difficultas et anxietas, observatur. Interdum conspicuus ad externa tumor est: qui, si cum interiorum levamine contingat; felicem morbi ad ignobiliora conversionem; — in contrario casu, pejora significat.

Saepius tamen haec cynanche in super-

ficiali magis faucium phlogosi, cum febrē non magna, catarrhalibus symptomatis stipata consistit: hinc fauces ex pallido, vel erysipelatis in modum rubent, ac mucosam harum partium membranam ex catarrhali ac serosa colluvie, uvula in longum extensa; et ipsius linguae radicem attingente, affectam testantur.

Cynanche
pharyngea

Cynanche pharyngea; vel *parasyanche* Graecorum, a praecedenti vix nisi profundiori inflammationis situ, ac symptomatis ad pharyngis musculos ac membranam magis referendis, distinguitur, et saepius cynanchis faucium sequela; vel comes est. In posteriori nempe faucium antro, sat profunda istius inflammatio, interdum ad singulas musculosas pharyngis expansiones extensa conspicitur, adestque calor, ardor, rubor, siccitas, ac major, quam in cynanchis tonsillaris varietate, sub deglutiendo dolor, ac potulentorum per nares regurgitatio, aut tussis, sub hac ipsa, convulsiva.

Cynanche oesophagitis.

Aliquando profundiozem oesophagi locum sibi eligit inflammatio, *oesophagitis* tunc nomine non indigna; sed tamen ob impeditam in iisdem viis deglutationem, ac similia cynanchi symptomata, ad hanc ipsam

facile revocanda. Ad locum vero inflammatum oesophagi, quem ipsimet aegroti indicabunt, deglutiti cibi obstaculum inveniunt, atque dolores fixos ac uni fere loco inhaerentes producunt: donec sub majoribus angustis, profundoque, vel ad dorsum urgente dolore, contenta ex oesophago vix mutata rejiciantur.

§. 173. Quae vero ad laryngem inflammatio *cynanchen laryngeam*, aut, paulo profundior, *trachealem* constituit: ea, nisi cum aliis (§. 172.) conjuncta incedat; vix externo in faucibus signo eruitur. Infantibus magis; quam adultis haec *cynanche*, quam et *spasmodicam* in pueris interdum naturam assumere dixerunt, est propria; respiratio summopere difficilis, deglutitio minus impedita; in casu tamen lethali, ac in adulto, cum violento illius dolore nobis se obtulit. Vox plurimum hoc in morbo mutata, vel rauca, vel clangosa, stridens, et acuta; alias, ut vidimus, a naturali non multum aberrans. Interea febris acutissima hunc morbum cum pulsu frequenti, parvo ac duro, vel tremulo, cordis palpitatione magna, calore insigni, ad noctem crescente, comitatur; ac ar-

Cyn. laryng.
tracheal.

doris, dolorisque sensus, aut magna sensibilitas ad laryngem, aut tracheam, praesertim sub inspiratione, aut deglutitionis sub opere, percipitur. Nunc autem superficialis modo, ac fere erysipelacea inflammatio internae laryngis, tracheae, hic subest; nunc fortior membranarum, ligamentorum, musculorum laryngis inflammatio latet: sub qua lymphatica et coagulabilis materies transudat, et nunc molliter lateribus adhaeret; nunc in pseudomembranam, laryngi, tracheae adhaerentem, aut intermedio puriformi liquore separatam, interdum cum tussi projiciendam, convertitur; nunc vero, quod conspeximus, copiosa sub seri purulenti forma per tracheae ramos in pulmonem depluit, eosdem replet: ut his in cadavere sectis, cum impetu profluat: hinc in vivente magnam dyspnoeae, ac peripneumoniae symptomatum partem sibi assumat. Tussis igitur in hac cynanchis specie frequens, impetuosa, cum dolore ad laryngem, cum paucis ut plurimum, sed puriformi, aut sanguinolento sputo, cum membranosis interdum frustis, iisque subinde majoribus, observatur. Praeter haec, anxietas, ac extrema, sed saepe apparens modo, virium prostratio, jactatio, genae rubentes,

facies tumida aut livescens , carotidum pulsatio magna , et jugularium venarum extensio , nec non soporosi affectus , sudores advultum multi comparent , ac , nisi citius tam vehementi morbo succuratur ; mors cita succedit .

Cum vero profundius , per tracheam penetrat , ac in bronchia descendit inflammatio ; tunc , in primo casu , *Tracheitidis* speciem , — in altero *peripneumoniae* imaginem refert : in qua ultima , vix non constantem internorum bronchiorum phlogosin , in centenis cadaveribus , deteximus . Vix igitur *anginae pectoris* hic morbus nomen sibi meretur ; et quem , longioris utpote decursus , hoc sub nomine descripserunt alii : ut cum spirandi , sub motu , subitanea difficultate ac suffocationis sensu , cum lancinante ac profundo circa musculos brachiales et pectoralem , vel ad sternum dolore , cum pulsu in multis intermittente , ac periodica corporis positione fere serpentina , incederet ; ille nunc ad organica pulmonum , cordis , vasorum majorum vitia ; nunc ad asthma spasmodicum facilius refertur . In ipsius vero *tracheae inflammatione* , praeter alia et communia signa , fixus ad fistulam ardor , cum tussi aspera , sicca vel

sputo puriformi ac sanguinolento, respiratione difficili, dolore, sub esculentorum deglutitione, cum ad certum oesophagi locum descenderint, acuto. Non desunt pseudomembranae per totam tracheam interius subtensae exempla, quae vel mortis, vel asthmatis diuturni, — ac ulcerum in eadem serpentium, quae phthisis trachealis ac purulentae, causam exhibuerunt.

Cynanche externa.

§. 174. Interdum ad glandulas parotides, maxillares aut jugulares tumor sat magnus, vix multum inflammatorius, interim tamen durus ac dolens, repente, ac sine malignitatis suspitione, tum apud adultos, tum praecipue apud pueros, juvenesque insurgit. Vel, ut vidimus, ab oedematis circumscripti, jugulum ac mentum collaris ad instar alte circumdantis, ac demum inflammati specie, tensio hic oritur et congestio: quae in musculis ac ligamentis maxillarum, ossisque hyoidis, dolorem, et cum febre sat vehementi, masticationem orisque aperturam impossibilem, deglutitionem vero difficillimam reddit. In primo casu, nunc post paucos dies, nunc, febre quidquam majore, post hebdomadam pauloque ultra, tumor

ut plurimum per resolutionem blandam immittitur; vel interdum inopinato disparet, ac, ut factum esse cum aliis novimus, in viris ad testiculum, ad mammam in mulieribus, cum aucta abhinc febre, convertitur. Vel ex utroque maxillarum latere tumor insurgens, jugularium venarum compressionem, et non parva abhinc incommoda producit. In secundo vero, ac pertinacis oedematis phlegmonosi casu, insignis tumor ex mento ad pectus usque fere duplex, durissimus ac dolens protenditur: quo non modo deglutitionis summa difficultas; sed et instans suffocationis periculum, in multos dies continuatum, creatur.

Externam quoque dicemus, diversam licet a priori, cynanchis speciem, quae ex ossis hyoidis, aut appendicum ejus luxatione aliquoties petiisse originem, relata est.

Cynanche
hyoidea.

§. 175. Ratione febris, cynanche, tum illa faucium (§. 172.), tum quae trachealis (§. 173.), ac parotidea (§. 174.) dicitur, diversissimam non raro adipiscitur naturam: ut indolem nunc inflammatoriam, nunc gastricam, nunc vero nervosam malignamque acquirat. Atqui, cum nervosa fe-

Diversitas ex
febre.

Cynanche ma-
ligna .

bris (§§. 87. 88.) hunc morbum comitatur : tunc funestissima , quam *malignam* , *ulcerosam* , aut *gangraenosam* dixere , cynanche exoritur ; sed cum vix non semper alius tunc morbus , imprimis *scarlatina* , subesse observetur ; hinc ut *symptomaticam* fere ubique hanc cynanchis speciem esse censemus , eamque sub *scarlatinae* consideratione potius contemplabimur . Hoc interim reticendum hic non erit : non solam *faucium cynanchen* , sed et *trachealem* non raro cum gangraenosa exulceratione incedere , et ex eadem fere origine pendentem , iisdem subsidiis esse tractandam .

Causae .

§. 176. Cynanchis causae , pro varia ejusdem natura , vel primaria , vel secundaria , deinde pro diversa febris , quae illam comitatur , indole , differunt , nec tamen ab illis , quae coeterarum partium inflammationes inducunt , distare observantur . Frequentius hic morbus , ob ignotam anni constitutionem , populariter grassatur ; sed sporadicae cynanchis rationes non raro sub oculis cadunt . Ad obvias magis ejusdem causas refrigerium pertinet : ex quo nempe hic morbus vernali , ac autumnali potissimum tempore comparet . Vidimus post peripneumo-

nias hyemales, easque rheumaticas, moderato morbi impetu, ac sede inflammationis sublimiori loco ascendente, cynanches successisse. Sed quovis fere anni tempore, vel ex frigore sudanti corpori incautius admissio, vel ex speciali faucium frigidiori afflatu, a vehementi et adversis ventis instituta ex equo aut rhoeda vectione, ex subita hypocausti cum atmosphaera frigida, post oratorias exercitationes, post cantum, clamores, tubarum tractationem, mutationem, ex improvida colli sudantis denudatione, ex potu frigido, glaciali, aestuanti gulae ingesto, etc. cynanche originem trahit. Huc spectant acria diversa, inprimis morbillosum, variolosum, scarlatinum, erysipelaceum, venereum; ut rheumaticum, scrophulosum, ulcerosum, apthosum, quae faucibus magis infesta, cynanchen saepissime, ut plurimum symptomaticam, producant. Huc et alia revocanda erunt; ut corpora peregrina, sub deglutitione faucibus impacta, mercurialium usus, creber vomitus, quicumque tumor faucibus vel intrinsecus, vel extrinsecus adnatus. Cynanche jam saepius, per suppurationem inprimis, devicta, sub quavis levissima occasione, facillime revertitur. Anginam ex vertebrarum colli

in junioribus ad anteriora luxatione, recentiorum vix confirmavit industria; et majora certe, quam cynanche, abhinc expectanda videntur infortunia. Quid causarum actionem in hanc magis, quam in illam juguli partem dirigat, ignoramus; sed peculiaris certe ex hoc annuae constitutionis comparet natura; quod, quae, sub eadem fere tempestatis conditione, hoc anno faucium imprimis cynanchen causae inducunt; in alio, tracheae magis, aut glandulis ad collum positis, atque testibus tunc, et mulierum mammis potissimum insidientur. Nec magis patet, cur cynanche trachealis, infantili magis, quam alteri aetati sit propria; nec infantum vagitus hujus phoenomeni rationem reddere videntur. Ex purpura in icterico per frigus retropulsa, trachealem observavimus cynanchen; ac quaecunque similis ad laryngem tracheamque facta depositio, inflammationem hic loci excitabit. Ex peripneumonia cynanchen oriri, atque bronchiorum inflammationem per totam tracheam in cadaveribus extensam conspeximus frequenter; nec difficilior tracheitidis in peripneumoniam est transitus. Latens in pulmonibus ulcus vix non in omnibus sub vitae termino fauces inflamma-

re vocemque extinguere observatur. Quotiescunque cynanche aut laryngea, aut faucium, *nervosa* cum febre epidemice incedit; latentis contagii non iniqua nascitur suspicio. Ipsa interdum *pestis*, cum glandularum tumores ad faciem ac jugulum, aut foetidiora faucium ulcera, qualia in Atheniensium peste observabantur, eandem potissimum comitantur; ad cynanchis speciem malignissimam pertinere videtur. Saepius vero in primis viis illud, quod fauces incendit, latere, multiplici experientia confirmatum habetur.

177. Cynanchis pericula ex febris na- Prognosis.
tura, et ex ipsa, quam inflammatio tenet, sede, tum ex causarum differentia, petenda sunt. Cynanche faucium, consuetum inflammationum coeterarum absolvit ordinem, ac saepe resolvitur; frequentius vero in illis, qui jam aliquoties suppurationem hic loci experti sunt, suppuratur; rarius, nisi scrophulosum insimul vitium accedat, in tonsillarum scirrhum, aut oesophagi superioris angustationem ac indurationem convertitur; rarissime vero, nisi malignae accesserit febris complicatio, in gangraenam, sed in suffocationem potius aegrotantis ter-

minatur. Facilis cynanchis in alium morbum, ut in peripneumoniam, aut in encephaliti- dem, conversio dicitur; quin hoc ipsum, nisi de *erysipelacea* natura morbus participa- verit, ex propriis compertum haberemus ob- servationibus. Quae catarrhalis est: illa, li- cet longior, facilius tamen solvitur cynan- che. Cum in suppurationem transitura est faucium cynanche; dolor fit intensior et pun- gens: tandem, ubi tumor ad summum gra- dum ascenderit; hic dolor, jam facta sup- puratione, imminuitur, atque versus sextum, vel septimum aegritudinis diem, vel sponte, sub somno interdum, abscessus rumpitur; vel ad aperiendum maturus observatur. Quae ad *pharyngem* est inflammatio, ea, nisi ad alias partes extendatur; longa quidem, sed tam periculosa non est. In suppurationem vero conversa, ob tenuitatem musculorum, imprimis si *venereum* virus subfuerit, verte- brarum facillime cariem producit. Quae ve- ro linguam simul afficit; aut, sine tumo- re exterius conspicuo, laryngem aut tracheam cum respiratione parva, erecta, dolente, ac magna anxietate aggreditur affectio: illa cum summo vitae conjungitur periculo. Hinc in *cynanche laryngea* ad gangraenam vix iterum

tempus conceditur; nisi erysipelacea lateat inflammatio: sed suffocatio promptissime aegrotantem interimit. Sub feliciori hujus morbi exitu, puriformia ac sanguinolenta sputa cum membranarum frustis, copiosa, cum sudore ac urinis ubertim manantibus rejiciuntur; aut vomicae species pulmonem occupasse visa, quae cum longa, et fere purulenta expectoratione feliciter dispersa fuit. Visi sunt, qui hoc ex morbo jam secundo, aut quarto die obierint; interdum ad octavum, et ultra protrahitur affectio. Rarius ab hoc morbo tracheae angustatio, aut obductio membranosa insequitur, perpetuae dispnoeae causa. Talem ab externo herpete juguli super tracheam internam deposito, cum respiratione, sub minimo fere motu clangosa et stridente, observavimus. Interdum vero, abscessu in aspera arteria relicto, *trachealis*, a pulmonali bene distinguenda, inducitur *phthisis*. Vix periculosa est cynanche, quae, a causis non malignis, ex glandularum maxillarium, parotidum, aut lymphaticarum tumore producitur. Summa vero malignam quamvis aut gangraenosam cynanchen pericula, sub *scarlatinae* imprimis consideratione ulterius exponenda, premunt.

Cura :

Cynanchis
faucium.

§. 178. Cynanchis cura iisdem fere , ac aliarum inflammationum medela , submittitur regulis : atque tum causae , epidemicae constitutionis , febrisque naturae , tum denique subjecti , ac temporis , quo morbus duravit , considerationem sibi exposcit . Resolutionem quidem ab initio morbi solerter tentamus ; sed in tonsillarum inflammatione , peracto Jam quarto , aut quinto morbi die , vel si jam saepius hunc ipsum cum suppuratione perpesus fuerit aegrotans ; rarissime obtinebitur illa . Venaesectionum generalium repetendarum paucis in casibus tam saepe , ac alibi necessitas observatur . Post has vero , localis vasorum depletio praecipue indicatur . Raninas hic venas incidere docuerunt antiqui ; sed incommoda satis hoc in malo , nec periculo destituta operatio videtur . Venam alii jugularem aperire jubent : quae quidem , si absque fasciarum ad jugulum applicatione suscipiatur : in graviore casu subsidium offert ; interim duodecim fere hirudinum collo appositarum actio huic ipsi vix multum cedit auxilio . Si tamen ex abdominis saburris inflammatio dolorque faucium potissimum pendere videatur ; tunc , absente quidem cruoris abundantia , emeticum aut

emeto-catharticum medicamentum saepissime juvisse conspeximus; in casu plethoricae complicationis, aperta prius vena, sine affluxus sub vomendo ad fauces majoris timore, ad emesin pervenimus.

Si catarrhalis faucium videatur affectio, nec febris urgeat; tunc sanguis non facile mittendus est; sed saepe vesicans ad nucham positum, ac colutoria quidquam adstringentia (N. XXII.), tum haustus salinus cum nitro, ac unico tartari emetici granulo, potusque tepidus ex infuso sambuci et melle paratus, egregie conducunt.

In fortiori faucium inflammatione cavendum est, ne salinis facile, ac irritantibus medicamentis, aut potu frigido gulam stimulemus: hinc medicamenta per anum potius frequenter sunt injicienda. Interim tamen blandiora per alvum evacuantia egregie conducunt, et sicciores tensaeque fauces tum frequenti balneo ex decocto malvae, cum melle, ac nitri parva portione, vel ex lacte tepido, cum ficibus cocto, fovendae; tum vapore ex aqua, cum aceti pauca quantitate, spongia suscepta, hauriendo, continuo relaxandae; tum linctu ex cydoniorum seminum, aut gummi arabici diluta mucilagine, ac melle. (N. XXIII.)

demulcendae sunt. *Injectio* in fauces, nisi tenacissima pituita eandem sibi expetat, ac nisi omnis insimul evitetur impetus; cum damno suscipitur. Nec *gargarizatio* sine majori partium irritatione ab aegrotis tentatur. Exterius quoque, sub mento, linimentum volatile (N. XXIV.), panno laneo abunde susceptum, aut emolliens ex lacte ac pane cataplasma, applicari potest. Si rheumaticam inflammatio habuerit indolem: detracto jam sanguine, vesicans jugulo applicitum eandem potenter aliquando dispellit.

Cum vero resolutionem cynanchis ob praedictas rationes non attingimus; superest, ut, imminuto jam faucium dolore, accedente horroris levioris, ac pulsationis in illis, quin febris in integrum cesset, sensatione, maturationem abscessus promptiorem, ac puris sine magna partium destructione evacuationem celeriter promoveamus. Rarius, sed interdum ad exteriora turgentem faucium dirigere licet abscessum; subinde vero hic ipse, totius fere gulae cavum occludens, angustias insignes, ac praefocationis adeo instantis minatur periculum. Hinc in balneo vaporis, ac in emollientium externorum usu perseverare; venaesectionem vero, nisi ma-

ior adhucdum inflammatio ac respirandi difficultas hanc exigat, evitare oportet. Si albicantis jam, ac fluctuantis abscessus ruptura citius obtineri non queat; tunc hic idem lanceolae auxilio aperiendus est promptius; nec unquam, nobis quidem, hac in cynanchis specie, ob imminentem suffocationem, ad *Bronchiotomiae* operationem (§. 166.) recurrendum fuit.

§. 179. In *Cynanche laryngea* (§. 173.), Cynanchis laryngeae. et in *tracheae inflammationibus*, sub maximis quidem vitae periculis, saepius arti non nisi pauca curationis conceduntur momenta. Ubi manifestus est hujus morbi character inflammatorius (§. 175.); tunc in citissima jugularis, alterius venae sectionis, saepius repetitae administratione, ac in scarificatae cucurbitulae, laryngi ipsi, vel inflammatae tracheae regioni superimpositae, aut in duodecim fere hirudinum, huic ipsi loco sollicita satis applicatione, potissima quaerenda sunt auxilia. Infantes quidem, huic morbo prae aliis subjecti, tam largas venaesectiones vix perferunt; sed adaequata eorundem aetati venae-sectio, aut hirudinum usus, non minus in illis requiruntur. Praeterea nec pediluviorum,

nec clysmatum frequentiorum, nec vaporum ex aqua frequentius inspirandorum, nec vesicantis, post venaesectiones, laryngi, tracheae applicandi beneficio renunciandum est. Imminentem, ex purulenti humoris ad laryngem collectione, suffocationem, post venae-sectionis administrationem, interdum dissipavit *emeticum*.

Interim celandum hic non est, methodum, quam hucusque proposuimus, anti-phlogisticam, non in quavis, licet minime maligna, cynanchis laryngeae epidemia semper conduxisse. Hinc in spasmo magis causam hujus morbi quaesiverunt alii (§. 173.), ac ad ipsum denique mercurium, vix aequali tamen felicitate, ita confugerunt: ut, omissis fere in totum venaesectionibus, infantibus, etiam non ultra duos annos natis, *calomelas* grana quinque, vel sex, bis aut ter in die, aut omni trihorio, grana tria, donec quindecim mercurii grana devorassent, porrigerent; aut mercuriale unguentum vel ipsi (quo non penetrabit) laryngi illinirent.

Cum, ob summam, vel in larynge ipsa, vel in superiori tracheae parte inflammationem, suffocatio instare videtur; tunc *bronchiotomiae* operatio, ut anceps quidem, sed

unicum, in his angustiis auxilium, instituen-
da est.

§. 180. In *cynanche externa* (§. 174.) *C. parotidæ* quæ ad glandulas colli, maxillæ, originem agnoscit, benignæ ut plurimum naturæ morbo, pro vehementia febris pulsusque ratione, una, vel altera venaesectio, interdum nulla, indicatur. Praeterea linimentum volatile, aut, sub majori tensione, cataplasma emolliens, tumori imponitur; ac evacuans salinum, posthinc vero haustus salinus cum vino antimonii, aut cum refractis tartari emetici dosibus, nec non infusum sambuci cum nitro et oxymelle, utiliter praescribuntur. Remedia repellentia, adstringentia, saturnina, quæ glandularum facile tumorem relinquunt, aut irritantem materiam in loca nobiliora conjiciunt, evitentur oportet.

Quotiescunque vero, aut ex istius, vel ex alterius cynanchis celeriori dissipatione, expansione, aegritudo, aliud ad viscus conversa, pericula vel auget, vel nova creat; tunc his ipsis, secundum regulas partim jam traditas, partim alibi tradendas, succurrendum est.

Quæ species cynanchis ex hyoidei os. *C. hyoideæ*

sis luxatione pendet; chirurgicis ea auxiliis, ac repositione curatur.

C. malignae. §. 181. Si vero febris nervosae, ac malignitatis symptomata quamcunque ex praedictis cynanchen comitentur (§. 175.): tunc methodus huic feбри ac malignae inflammationi adaptata (§§. 94. 95. 96. 97.), ac illa imprimis, quam in anginosa, sic dicta, et maligna scarlatina exponemus, requiritur.


C. praeservat. §. 182. Superato cynanchis cujusvis impetu; pro diversa febris, quae eandem circumdederat, ratione, diversa reconvallescentibus remedia, et diaeta conducunt. Habitualement et ex faucium laxitate ac irritabilitate pendentem cynanchen, collutorium ex aqua frigida, vel ex decocto corticis peruviani, quercini, cum aluminis, interdum cum opii portione, avertit.



O R D. III.

INFLAMMATIONES PECTORALES.

G E N. I.

PERIPNEUMONIA, PLEURITIS.

§. 183. **V**ISCERA thoracis in cavo contenta Significatio: inflammationibus persaepe corripuntur; ac inter haec, pulmones frequentius, quam alia, hoc morbo laborant. Saepius dolores punctorii ad costas, variasque thoracis regiones, hos affectus comitantur: ob quos, pleuritidis his ipsis impositum nomen est; sed centenorum inquisitio cadaverum nos docuit, quod jam a magni nominis Scriptoribus animadversum fuit, in paucissimis, qui ex *pleuriti-
de*, aut *pleuroperipneumonia* cum singulis aliis decubuerant, inflammationis sedem ad ipsam pleuram haesisse; vix autem non omnibus, sine pleura, pulmones, non alio

modo, quam quibus sola peripneumonia credebatur propria, inflammatos fuisse. Nec his paucis vel sola et sine pulmonum inflammatione pleura, quod ab aliis interdum observatum fuisse legitur, incensa fuit; sed cuius inter illos, hi ipsi quam maxime tuebant, et veram mortis causam, non in superficiali, minusque lethali membranae istius phlogosi; sed in ipso hoc spongioso respirationis organo latere testabantur. Est quidem commune cum costis circumjectum pulmonibus tegumentum: et hoc quidem sensu *pleuritis* ad ipsam hujus visceris inflammationem extenderetur significatio; sed cum inter pulmonum inflammationem, quae cum costarum dolore est, et inter illam, quae sine hoc ipso incedit, in illis quidem nec minima subsistat differentia; nec exterior magis in *pleuritis* sic dicta, quam in *peripneumonia*, inflammatio observetur; nec bronchiorum, frequentissime a nobis conspecta phlogosis, in hac ultima saepius, ac in illa, occurrat; clarum, ut opinamur, ac indubium prorsus est, nullam his morbis diversitatem intercedere, ac utramque unico sub *peripneumoniae* nomine aegritudinem posse, ac debere pertractari. Ipse quidem thorax, vel ad mu.

sculos, vel ad membranas eidem insertas, dolores, ac inflammationes hinc inde experiri, suppurari, ac respirationis opus non parum praepediri potest; sed quemadmodum abdominalium musculorum, ac peritonaei affectio, ab inflammatione viscerum hoc in cavo positorum; — sic et pulmonis inflammatio a thoracis ipsius, seu pleurae affectione, sub pleuritidis nomine (§. 186.) distinguenda est, et ratione tam symptomatum, quam periculi, differe observatur. Nec pulsum, nec sputorum huic assertioni vel minimum contrariatur natura: cum et in simplicissima pulmonum inflammatione frequentius certe duras, quam molles arterias, ac sputa eo certius sine sanguine, ac fere nulla, inveniamus; quo vehementior in pulmonum parenchymate inflammatio viguerit.

§. 184. Est igitur *peripneumonia* febris, cum Definitio. respiratione difficili, cum sensu vel pondere, vel doloris in pectore fixi, gravioris, ac cum tussi sub majori inspiratione mox redeunte, haec symptomata quamplurimum exacerbante.

§. 185. Cum ideo et thorax interdum Divisio.

inflammetur, et respirationem utique difficiliorem reddere queat; juvabit, praeter veram peripneumoniam (§§. 183. 184.), illius quoque inflammatoriam affectionem sub *pleuritis* nomine retinere: quo nos quidem eundem morbum intelligimus, quem alii Scriptores sub *pleuritis spuriae* seu *nothae* appellatione intellexerunt. Sic et pulmones interdum morbo, periculoso quidem, sed tamen a *peripneumonia vera* diverso, quam *notham* appellamus, corripuntur. Alias vero nec ad pulmones, nec ad pleuram aegritudinis causa residere; sed ex alio loco pendere observatur: quos affectus tum *peripneumoniam*, tum *pleuritidem consensualem* vocare sueverunt. Omnes vero hi morbi, ratione febris, variam, atque tum *gastricam*, tum *nervosam*, seu *malignam* assumere naturam queunt; atque nunc *sporadici*, nunc vero *epidemico* grassari more, ac interdum, quod copiosius hoc ipso anno conspeximus, *periodicam* ostendere indolem observantur.

Symptomata. §. 186. Varius symptomatum in peripneumonia *vera*, hyemali sub frigore longe frequentiori, nec tamen sub fervidissima aestate exulante, ingressus est. Nunc enim dolor acutus in pectore, cum lassitudine, anore-

xia praecedit; nunc horror, aut rigor, nunc solus calor scenam aperit, ac citius, vel tardius cum dolore, aut ponderis tensivi super pectoré sensu sociatur. Ut plurimum horrorem sequitur aestus major, ac fere continuus, moxque vel acutissimus pungensque dolor quamcunque thoracis regionem, frequentius lateralem, mediam, invadit, ac ad claviculam, scapulamque saepe extenditur; aut insignis ad sternum constrictio, oppressio, angustia, plenitudinis sensus, anxietas accedunt. Hinc respirationis profundioris difficultas, et incommodus vel in hoc, vel in aliud latus decubitus, ut plurimum in dorsum, altiorique loco facilius, anhelatio frequens ac parva, cum tussi difficili, frequente, expectoratione aut spumosa et viscida, aut sanguine mox tincta, interdum protinus sanguinea, aut flava et viridescente, aut demum, in ferociori morbo, nulla, et singulorum sub tussi symptomatum augmento. Interea pulsus ut plurimum durus, fortis, plenus ac frequens; interdum mollis, hinc inde intermittens, aut et parvus, contractus; in aliis frequentia naturalem vix multum superans, aut etiam tardior. Cordis interim, sub quovis arteriarum statu, vibratio magna, et

multus in praecordiis ardor ac aestus percipitur. Sanguis, ab initio morbi emissus, naturali fere conspicitur similis; qui paulo tardius educitur: hic *corio* denso, flavescente, ac tenaci, quod *pleuriticum* vocant, ut plurimum obtegitur. Facies in multis est rubra, subtumida, interdum fere livida; sed in pluribus pallida et collapsa observatur. Sudor non raro multus, viscidusque ad faciem, jugulum, ac pectus exprimitur, inutilis; coetera corporis intense calent et siccescunt, lingua aridissima, cum siti intensa, ac laboriosa deglutitione. Aerem exspiratum *calidiorem* hic esse, vix non omnes asseruerunt; sed in plurimis, hoc ad signum attenti, non invenimus idem, plurimusque ex ipsius Medici manu nunc frigida, nunc calida, et ex celeritate, qua aer respirando renovatur, errori locus est. Omnes vero, qui hoc morbo decumbunt, dum sermocinantur, brevia, et anhelationibus intersecta verba proferunt. Ut plurimum quidem in latus, quo dolent, facilius decumbunt; sed frequenter satis contrarium, ex rationibus non semper claris, contingit. Alvus interea, nisi liquida ac copiosa, in multis est obstructa; urinae ut plurimum jumentosae; ac singulorum symptomatum manifesta ad noctem,

etiam, cum pervigiliis, aut deliriis, exacerbatio.

Per asperrimam vero tussim, non modo vomitus biliosus in multis succedit; sed et maximus non raro signorum gastricorum apparatus sub violento morbi progressu observatur; quin tamen istorum aliud, quam in ventriculi cum inflammato viscere consensu, fundamentum existat. Hinc toties, hac a larva seducti, lethale aegrotantibus emeticum praescribere Medici; totiesque prudentiori sub cura, per solas venaesectiones haec symptomata non minus, quam frequens in peripneumoniis diarrhoea, dissipatur. Maximam in lethalibus peripneumoniis vasorum abdominalium, hepatis imprimis, repletionem frequenter deteximus: ut ex quacunque in hoc ipsum facta incisione, copiosus mox sanguis proflueret, ac mesenterium, ac intestina, vasa undique cruore distenta exhiberent: ex qua locali abdominis plethora, quamplurima ad ventriculum ac intestina hoc in morbo abunde explicantur symptomata.

Sed magnus interdum hypochondriorum tumor, dolensque tensio observatur, nec non gravis aliquando, sub quavis fortiori inspiratione, abdominis dolor, exspirando modera-

tus, nobis comparuit: quem iterum, tum ex hac ipsa vasorum repletionem, tum vero ex inflammati pulmonis cum diaphragmate cohaesione, hujusque in abdomen repetito descensu, sectionibus cadaverum reperimus illustratum. Non raro ad diaphragmatis arcum, cui hepar subjicitur, inferior dextri pulmonis lobus cum hoc septo connascitur, atque inflammatione tum huic ipsi, tum vicino hepatis inflammationem, doloremque communicat: sub qua, in suppurationem aliquando conversa, purulentam ex pectore materiam in abdominis cavum depluisse, ac purulentum istius hydropeem constituisse, aliquoties deteximus (§.249.)

In tantum vero tumorem inflammatus pulmo aliquando effertur: ut in eodem, thoracis cavo vix non ampliori, costarum frequentius vestigia, formamque, albescente ex flavo materia delineatam, ostenderimus: quod in dextro imprimis thorace, per hepatis, interdum praegrans, et ad quartam, tertiamve, ex veris, costam apud multos in pectus ascendens volumen adauctum non raro contingit. Hinc facilis est tensionis ad hypochondria, in primis ad dextrum, multorumque symptomatum ad hepar, et ad ventriculum explicatio. Interim non tam perfecte

semper dolor cum inflammati pulmonis loco respondet; ut non in alia longe parte illa, sub vita; in alia iste, post mortem, detegantur. In sinistro adeo thorace dolorem; in dextro vero pulmonem inflammatum fuisse, compertum habetur. Discissa pulmonis inflammati substantia, copiosam in cellularem hujus visceris tunicam crassioris ac subsanguineae lymphae transudationem ostendit: qua cocti fere hepatis duritiem parenchyma pulmonum acquirit, et ex spongiosa, aeri-que pervia substantia, compressis ac obliterated fere bronchiis, in ponderosum, solidum-que corpus convertitur. Frequentior nobis, ex copiosis certe cadaveribus, posterioris ac lateralis pulmonum portionis inflammatio comparuit; cum anterior, ac sub sterno posita eorundem compages, ab incendio libera, vix non sola pro respirationis ac circulationis sufficere debuerit opere, ac ponderis hic loci utplurimum prementis non minus, quam praedilecti in dorsum decubitus, docuerit originem. Ipsorum interim bronchiorum inflammationem vix non in omnibus, quibus pulmo sic laboraverat, deteximus; plurimum-que spumosi, vel sanguinei, ac purulenti humoris, qualis sub morbo per tussim ejicie-

batur, continebant ubique. Coeterum in sinistro non frequentius, quam in dextro pulmone inflammationem contigisse, nec ex una, quam ex altera pericula majora fuisse, nobis visum est. Frequentius forte superiores pulmonum lobos inflammatos deteximus: cum tamen dolor vel sub clavicula, vel post scapulas sat raro afflisset. Singulos non modo pulmonum lobos inter se ipsos, sed et cum pericardio, cumque univ[er]sa pleurae extensione, lymphae coagulabilis ope, concretos saepissime, et non raro pulmonem totum pseudomembrana inclusum, cum aliis, deteximus; ac aliquoties in novissima ac tremula fere adhucdum membrana, innumera, quinque vel sex dierum spatio generata vascula Auditoribus, quod iterum alii ante nos jam fecerant, ostendimus. Hunc saccum inter ac pulmonem, non raro plurimum purulentae colligitur materiae; quae, primo quidem intuitu, abscessum pulmonis amplissimum mentitur; sed attentius ab hoc ipso abstersa, visceris superficiem intactam prorsus ostendit. Sed cum densissima sic lymphae in pulmonum parenchymate, ac circa haec organa colligitur; in plurimis certe peripneumonia defunctorum thoracibus, serosi,

ac nunc purulenta materia, nunc sanguine commixti liquoris quantitatem conspicuam, interdum ad octo, vel decem librarum pondus ascendentem, invenimus: quae extravasati copia liquidi non semper quidem cum praesenti inflammationis vestigio correspondit, ac ob citam haec in loca depositionem, in viventibus *hydropis acuti* (§. 131.), seu *inflammatorii* nobis speciem obtulit: sub qua, inflammationis symptomata quamplurimum quidem imminuta; compressionis vero ac suffocationis repentinae effectus lethales, praecunte utplurimum brachii ejusdem lateris, torpore, aut hujus, ac dorsalis regionis oedemate, comparuerunt.

Atqui ex his singulis, symptomatum hoc in morbo ad pectus urgentium natura, ac singularis anxietas, cordisque vibratio intelligitur satis. Nec tamen desunt et alia truculentae affectionis phaenomena, quae ex insigni circulationis impedimento, ac sanguinis ad caput collectione, tum ex affecto nervorum systemate non obscure derivantur: summus nempe capitis dolor, oculorum splendor, rubor, prominentia; linguae tumor, deliria, vel coma somnolentum ac stupor: quae singula, ingravescente in dies ac in aliam,

aliamque thoracis partem converso morbo, pededentim accedunt: donec, sub peiori rerum statu, ad septimum circiter, vel circa nonum, undecimumque diem, aliquando citius, aut tardius, fatalis in thorace stertor, faucium inflammatio cum voce extincta, extremitatum frigus, pulsusque inaequales, intermittentes, exiles, ac sudores glutinosi, viscidi, frigidique, vicinam mortem praesagiant.

Atque haec fere funestioris morbi symptomata concernunt. Alias vero, vel ab ipsa natura felix per nares excitatur haemorrhagia; vel sub recta morbi curatione, sputorum puriformium, ac cum sanguinis striis remixtorum augetur copia, et expectorandi facilitas: a qua dispnoeae ac doloris imminuuntur incommoda, et febris ipsius moderatur impetus. Minime tamen rarum est, per sputa morbum nequaquam solvi, ac in utroque casu, versus septimum, nonum, undecimum, decimumquartum, aut alium, certe sine peiori rerum omine, his intermedio morbi die, sudor profusus, aequalis; ac vaporosus per universum corpus emanat; ac simul urinae copiosum, leve ac puriforme sedimentum deponunt. Interdum, sine sputis iterum,

per urinas, sedimento quidem destitutas, sed copiosissimas, ac ad duodecim, pluresque libras in die emissas, peripneumoniam, inprimis rheumaticam, dissipari observavimus.

Quamvis autem enarrata hucusque symptomata, pulmonis inflammationem frequentissime, vel ex parte, vel omnia comitentur; est tamen, ubi et in thoracis cavo *occulta* viscerum *inflammatio* latuit; cui signa, cum viveret aegrotans, defuere quidem; sed ubi dira inflammatio, vel facta jam pulmonis suppuratio, post mortem demum in conspectum venerunt. Eadem in pluribus accidisse *vaccis* observavimus, quas, cum epidemica, summeque lethalis has bestias prosequeretur peripneumonia: vel cum saniores apparerent, experimenti causa mactatas, cum duro ac inflammato pulmone secuimus. Saepius interim Medicorum potius quam signorum deficientium culpa, peripneumoniae praetervidentur: ut, sub catarrhalis imagine febris, latens in pulmonibus phlogosis in funestas hoc viscus suppurationes in non paucis aegrotantibus conjecerit.

§. 187. Musculorum pectoralium, inter Pleuritis.
costalium, ac membranae thoracem ambien-

tis, dividētis, phlogosin ac dolorem, sub inspiratione profunda auctum, cum febre ac levi dispnoea, *pleuritidem* vocamus (§. 184.). Morbus hic a pulmonum inflammatione distinctus, ac, nisi cum hac ipsa complicetur (quo in casu, vix unquam determinando, *pleuroperipneumoniae* nomen assumit), thoracici ut plurimum rheumatismi imaginem refert. Ipsam quidem pleuram tum alii, tum nos ipsi (§. 183.) inflammatione in cadaveribus ostendimus correptam; ac licet talia, sine ullo ad pectus dolore pungente, aliquando nobis obvenerint; hoc tamen non impedit, quin sensibilem ut plurimum, dum inflammatur, *pleurae* agnoscamus naturam. Rarius interim hoc fieri, quam ut communissimi morbi, qualis pulmonum est inflammatio, reddere rationem queat, jam dictum est; sed cum id ipsum contingit; vel cum musculi thoracem investientes hoc modo afficiuntur; per pauca aut nulla etiam tussis eaque sicca, et brevis excitatur. Febris, nisi major, ac phlegmonosa hic adsit inflammatio, vix magna; pulsus interim interdum durus ac frequens; oppressio pectoris ac angustia, quam in peripneumonia, longe minor est; et respiratio, nisi profunda, vix difficilis observatur. In

partem dolentem, quae et ab attactu offenditur, aegrotantes tamen facilius decumbunt; nec erectam adeo, quam in pulmonum morbo, positionem requirunt; quid quod, cum ad dorsi vertebrae, *dorsalis* ut vocant *pleuritis* urgeat; in erecto corpus situ tenere, sine majori ad spinam dolore non possint. Urinam *sanguineam*, quam hac in pleuritidis specie animadversam legimus, conspeximus nunquam; atque renum magis, quam thoracis tunc subfuisse suspicamur inflammationem. Volubilis est a parte ad partem haec morbi species, atque illis inprimis observatur propria; qui rheumaticis, arthriticis, aut scorbuticis demum affectibus, prae aliis subjiciuntur. Ut plurimum per sudores leves, tempore sat brevi, terminatur hic morbus; interdum vero chronicus fere per multos annos divexat; alias vero inter musculos, qui costis interseruntur, abscessum, neglectus, ac costarum subinde cariem inducere visus est. Inter pleuram ipsam, atque intercostales musculos purulenta materies visa est saccum excitasse praegrandem, ac in thoracis cavum prominentem: unde pulmonum compressio, dispnoea, facilisque in illud ipsum depletio intelligitur. Interdum sub sterno, vel ad me-

diastinum facta inflammatio, suppuratio, similes, nisi vehementiores, effectus producit.

Peripn. notha. §. 188. *Peripneumonia notha*, fortior nobis *bronchiorum catarrhus* est: quo, in pituitosis, obesis, senibus, cachecticis, laxisque hominibus, frigida et humida sub tempestate, ab accedente membranae mucosae, hos canales investientis, irritatione, copiosior tenaxque pituita celeriori passu secreta, bronchiorum fines opplendo, suffocationem sat cito minuitur; quin ob dolorem, aut ob primariam inflammationem spiritus praeccludatur. Febris etenim, si ulla, parva hic est, et ex aliis magis, quam ex pulsu, ac calore internoscitur. Docent vero illam peracutus capitis, sub tussi auctus; dolor, vertigines, lassitudo, urinae turbidae, ac celerior morbi sub fine progressus: sub quo et ipsae interdum arteriae, alias naturalibus vix non aequales, celeriores, nunc inaequales, ac debiles, cum anxietate praecordiorum et pectoris magna oppressionem, comparent. Sitis interea perpauca est, ac potus per vomitum regurgitatio frequens. Viscidissima in pulmone materiae sub tussi, quae nunc impetuosa, nunc pauca est, stertorem excitat; ac antequam

de periculo, in morbo, lentiori ac fallaci nonnunquam passu incedente, adstantibus constet; fatalis non raro, praecipitis interdum affectionis, exitus, non sine accedente, ut videtur, peripneumoniae verae symptomate, observatur.

§. 189. Quemadmodum de cynanche (§. 176.) aliisque inflammationibus dictum est, sordes in primis viis collectas, earundem non raro fomitem offerre; sic et thoracis non modo pungentes dolores; sed quaevis peripneumoniae symptomata hoc ex fonte impuro frequenter, ac interdum sub epidemico influxu, propullulant. Facilis quidem hoc in iudicio error subrepat (§. 186.), ac frequentius certe inflammationis cum gastrico apparatu complicatio hic occurrit; quam quod ex solis in abdomine saburris ad tam insignem pectus consensum provocetur; interim nec hoc ipsum aliquando deest; atque tussis, dispnoea, anxietas, dolorque pectoris cum febre conjuncta, non aliam subinde, nisi abdominalem, et ex bile, saburra, vermibusque corruptis, agnoscunt originem. Ex solis interdum flatibus, apud hypochondriacos, hystericas, per spasmum intestinis incarceration-

Peripn. et
pleurit. con-
sensual.

tos, acutissimus ad costas, scapulasve dolor, ac frequens a vermibus vel tussis, vel pungens in pectore sensatio excitatur. Plures epidemiae tum aliis, tum nobis ipsis occurrerunt, in quibus manifesta quidem inflammati pulmonis signa; sed constans insimul gastricorum symptomatum series, urgebant; ac in quibus lautior sanguinis ac repetita saepius detractio, insignes aegrotantibus noxas; — porrecta vero, post unam, alteramve cruoris emissionem, tum emetica, tum purgantia, salutem citissime attulerunt. Male quidem ex *flavo* aut viridescente sputorum colore, mox ad biliosam peripneumoniae concluditur naturam; nec omne, quod flavum est, mox de bile testari dicatur! Sed cum, sub anni genio gastricis imprimis affectionibus favente, ac sub constanti satis apparatu signorum, quae gastricam comitari febrim pernoscimus (§. 100.), nec non sub frequentiori observatione, aegrotantibus diversis tum vomitum spontaneum, tum diarrhoeam biliosam sub simili rerum conditione conduxisse, peripneumoniae occurrunt: tunc certe de *consensuali* ac *symptomata* earundem origine dubium superesse non potest; ac repetitae in multis venae sectionis effectus hos

judicium fatali nimis argumento comprobabunt.

§. 190. Peripneumonias quandoque febris *nervosa* (§. 80.) comitatur, atque malignam earundem naturam, tum subjecti ipsius, et causae specialis, tum epidemici imprimis characteris culpa, constituit. Tanta vero subinde hujus morbi apparuit atrocitas: ut vel ipsam *pestem* lethalitate aequaverit; nec raro, cum minor quidem epidemiae furor esse videretur; magnam nihilominus in provinciis stragem edere consuevit. Incipit vero haec labes cum extrema virium prostratione, facie pallida, tristi; morositate, timore, aliisque nervosae febris, tum *versatilis* (§. 87.), tum *stupidae* (§. 88.) symptomatis. Horror, cum calore intermixtus, praecedit: hunc sequitur magna respirandi difficultas, oppressio pectoris, et angustia cum tussi frequenti, laboriosa, ac vel sicca; vel pauca, serosa, tenuia, sanguinolenta, vel saniosa sputa effrente. Pulsus interea vel naturalibus vix frequentiores, vel celeres, parvi, inaequales, ac valde mutabiles observantur. Erectos quidem sedere, extrema jubet respirandi impotentia; sed vires desunt, facilisque sub hac

positione lipothymia succedit. Atrox simul capitis, ad occiput inprimis, dolor urget; ac sub magna vertigine, delirium tacitum, aut ferox frequenter huic ipsi adjungitur. Sed, jam ante febris accessum, vel repente cum illa maximus non raro ipsum thoracem, pungensque admodum, vix attactum ferens, animamque fere supprimens dolor, cum vomitu bilioso, ac herbaceo, adoritur; ac perpetuae vigiliae, aut sopores comatosi, linguae siccitas, ariditas, tremoresque ac subsultus tendinum, singultus, urinae turbidae, aut aquosae, aut subnigrae, sanguinolentae, lixiviosae, furfuraceae; vel sudores glutinosi, copiosi, cum petechiis lividis, subnigris; aut miliaris eruptio; aut demum haemorrhagiae per nares, alvum, aliasque vias copiosae, atque aegrotantibus funestae observantur. Interdum dolor fugax aegrotantem quidem deserere videtur, nec tanta respirationis difficultas urget; sed ingens sitis, lipothymiae, aphthae, cavum oris exedentes, eundem circumdant. Emissus hoc in morbo sanguis, cohaerentia ut plurimum destituitur, ac dissolutus, in crassamentum nequaquam coit. Vidimus tamen et hoc in morbo corium durum, sed sanguinolentum, obtegitur cruo-

rem. Sub funesti morbi fine tum stertor lethalis, tum lethargicus fere sopor, ac interdum convulsio, cum extremitatum frigore, pulsuque exilissimo, scenam claudunt; in aliis, cum gastrica simul saburra ad abdomen latuerit: diarrhoea moderata symptomata infringit; aut abscessus in exterioribus felices comparent; aut circa labia quamplurima ulcuscula, vel ad cutem exanthema miliare, cum sudore multo, ac olido, meliori sub omine, efflorescunt. Cadaver hoc a morbo apertum nobis obtulit pulmonem ad posteriora turgidum, ac sanguine infarctum, sed non durum; nec, ut in vera peripneumonia, gravem, aut sero, aut coagulabili lymphâ circumseptum.

§. 191. Nisi experientia doceret; peripneumoniam *intermittentium* interdum febrium subjugari familiae, (§. 185.) crederetur a nemine. Peripn pe-
riodica. Tantum vero istius in quoscunque morbos dominium exercetur (§. 22.): ut et acutissimum, de quo sermo est, pulmonum morbum, in partes suas rapuisse, tum aliis, tum nobis ipsis inspectum sit (§. 185.) Non quidem tam commune hoc esse noverimus: ut cuivis cum aliqua symptomatum remissione peri-

pneumonicæ peruvianæ sine damno corticem porrigendum esse credamus; sed tamen frequentius peripneumonias graves, tertianæ typum cum ordine observantes attentâ observatione prosecuti sumus, et, paucioribus longe, quam sibi alias exegissent, præmissis venaesectionibus, cum laudato febrifugo, tum cito, tum constanter curavimus. Sub ipso quidem insultu morbi, dispnoea gravis, tussis cum dolore thoracis, pungente, ac sputis sanguine commixtis, febrisque acuta cum pulsu duro ac pleno, comparent; sed accedente post sat longum calorem sudore, potissima, quæ ad pectus urgebant, symptomata fugantur; ac sequitur minor pulsum, plenorum licet, frequentia, calorque cutis moderatur. Saepius nunc urinae lateritium deponunt sedimentum, ac sat evidenti aegrotans fruitur quiete; donec eodem fere, quo prior invaserat, tempore, nova morbi exacerbatio, cum graviori pectoris insultu, inopinato superaccedat; eodem, quo dictum est, modo, per sudorem terminanda. Interdum tertianæ duplicis aut amphimerinæ species, manifestiorem alias remissionem obscurat; sed tamen hæc ipsa, cum

nova

nova accessione comparata, insigniorem mox, quam in communi peripneumonia solet, a tam miti rerum statu, in pejus mutationem sat clare ostendit; majorque febrium intermittentium, eodem tempore observandorum, numerus, de periodico praesentis morbi characterere vix dubium relinquit.

§. 192. Peripneumoniam excitare queunt *Causae*. tum causae inflammationum communes (§§. 118. 125.); tum vero praecipue illae, quae in organa respirationis evidentius agunt. Frequentissima certe ex omnibus est frigidioris aerae sub aestu majori, aut post longos sermones, post cantus, aut tubarum tractationem, post luctum, nixum, cursum, inspirationem, vel potus gelidi hoc sub statu ingurgitatio avida. Hinc non modo sub fortiori frigore ac septentrionali vento peripneumoniae copiosius occurrunt; sed media quoque aestate ab incauto sub sudoribus potu frigidari, vel ingesta glacie, hoc morbi genus non raro observatur. Ipsa transpirationis subitanea suppressio frequentius forte pulmones, quam alias partes inflammat. Sed et quaevis externa pectoris laesio, costarum fractura, contusio, vulnus, tum pleuritidem, tum

ipsam interdum peripneumoniam excitare potest. Huc et corpus peregrinum pulmonibus illapsum, irritansque vapor hoc viscere attractus subinde pertinebit. Rheumaticum vero inprimis, variolosum, morbillosum, erisipelatosum, scabiosum, ulcerosum acre, nec non aliud quodcunque, vel metastasis ad pulmonem, vel thoracem deposita, utrumque morbum frequenter progenerant: quae causae omnes fortius agunt in subjecta, quae, vel ob osseam compagem, vel ob hepar, aut lientem praegrandia, angusto thorace exstructa, vel jam pridem pectoris morbis, catarrhis frequentibus, aut et peripneumonia affecta erant; vel quae speciali ad pulmones plethora, aut ex suppressa alia, laborant; aut demum quae tuberculis refertum hoc viscus ferunt. Non infrequens cynanchis, trachealis inprimis, ad pulmones descensus est; frequentior vero in puerperali febre (§. 217.) inflammatio ex abdomine in pulmones dispergitur ipsos. Has vero causas omnes superat incognita atmosphaerae dispositio: sub qua, sine manifesta semper frigoris ratione, quamplurimi pulmones inflammari observantur. Qui fortiori ac robusta fibra donati sunt, illi frequentius, quam debiles; — adulti magis, quam infantes hoc a morbo invaduntur.

Ad *peripneumoniam notham* laxus pulmonum habitus, et quaecunque causa pulmonem stimulans, illa, quae inflammationi producendae par sit, forte minor, contribuere videtur.

Gastricae peripneumoniae causa vel ex ipso morbi nomine jam patet; sed quid *malignam* generet; id quod in genere de *ner-
vosis febribus* jam fassi sumus, quam maxime ignoramus. Cachecticorum quidem ac illorum, qui post longa et maritima itinera scorbuto laborant, in quoscunque graviore morborum exitus, dum febris accedit, dispositionem pernoscimus bene; sed quid epidemicam pectoris luem, eamque vel ipsi interdum pesti vicinam, producat; hoc inter multa, quae nos latent, unum est.

§. 193. Vel ex ipsa jam morbi descri- Prognosis.
ptione, viscerisque affecti conditione, peripneumoniae pericula abunde nimis patent. Cum minori discrimine *Pleuritis*, si ad solum thoracem limitetur, incedere consuevit. Utriusque pulmonis inflammatio fortior, inevitabilem vix non mortem inducit. Quaecunque vero mutationes in illis contingunt; eae, in vera saltem peripneumonia, evidentiore

fere, quam quivis alter morbus, ordinem, ac tempora minus incerta observant. Febris vero, quae hos morbos comitatur, natura et in istis quamplurimum decedit. Quo major interim spirandi difficultas, quo celerior, breviorque respiratio, quo magis expirando in gutture gemunt; quo inflata magis, ac livida, quo pallidior facies; quo siccior tussis, aut quo viridiora sputa sunt; quo major stupor, aut delirium quo intensius est; sudor quo glutinosior ac copiosus magis ad frontem, jugulum, ac pectus exprimitur; quo magis inquieti et anxii jactantur in lecto; quo fortior cordis vibratio observatur, et quo magis aegroti in se ipsos concidunt; eo major interitus timor premit. Stertor in pectore, sub morbi fine contingens, vix non ubique vicinam mortem praenunciat. Torpor brachii, cum manus ejusdem oedemate, graviorique dispnoea, sub febre quamvis minori, lethalem in pectoris cavum effusionem significat.

Praeter communes inflammationum exitus (§. 126.), funestissimum, propriumque peripneumonia per suffocationem habet terminum. De gangraena pulmonum rarissimis, quae ipsimet nos vidimus, exemplis nobis

constat. In pulmonis cum pleura simul inflammata concretionem, huius quidem cum illo communicatam conspeximus gangraenam. Est tamen interdum quasi paralyticus pulmonum infarctorum status: sub quo, licet conclamato, dolor tamen omnis cessat, respiratio minus impedita videtur: ac pulsus, aut revera plenior ac mollis; aut frequentissimus ac exilis, cum frigore manuum, apparet. Pluries hoc in casu gratulantes affinibus Medicos, experientia non aliter edoctos, et post non multas horas funus deplorandum fuisse novimus. Cum sputis quidem, peripneumoniae non paucae solvi observantur; sed majorem certe aegrotantium numerum, sine conspicua ex pulmonibus evacuatione, ac per solos sudores, cum urina, purulentum et album sedimentum habente, iudicatum esse novimus: atque multis sputa successisse obcessantem in pulmonibus tensionem, non vero salutem per sputa rediisse, certi sumus. Quae nempe in pulmonum parenchymate tenax et coagulabilis post mortem observatur materia; illa inflammationis magis effectus, quam causa existit; ac licet cita illius in aegrotantibus rejectio respirationem sublevare observetur; ex erronea tamen opinione, acsi

omnis in hac sputorum excretionem, vel in expectorantium usu, curationis cardo versaretur, plurimorum hoc in morbo interitum derivamus. Quaecunque inflammationis impetum infringunt; ea, tum extravasatae in pulmonum cellulas coagulabilis serosaeque materiae per lymphatica vasa resorptionem, — tum ejusdem, in bronchiis stagnantis, ejectionem secundant: atque sic optimum in veris pulmonum inflammationibus *expectorans* remedium *venaesectio* prudenter administrata habenda est. Hinc tanta ex haemorrhagia narium, vel alia, in morbi hujus principiis beneficia sunt. Per diarrhoeam, quae tam saepe symptomata hic est, vix alia, quam quaecumque gastricis saburris incedit, peripneumonia, vel pleuritis solvitur. Exanthemata, pustulaeque urentes ad superficiem corporis depositae, maxime vero erysipelas cum constantia ad cutem comparens, peripneumonias, imprimis malignas, interdum dissiparunt.

Paucos in peripneumonicis abscessus nos quidem conspeximus criticos. Ad aures tamen, tum illi, tum sola interdum surditas meliori comparuere indicio. In febrim intermittentem terminari hunc morbum, minus forte, quam in hac ipsa consistere, commu-

ne est. Punctorium ad latera thoracis dolorem disparere, ac ad scapulam, vel clavículas transferri; nisi minor hic sit, et respirandi simul difficultas decrescat; laetiores ideo prognosin nequaquam constituit. Frequens jam plurimum mitigati morbi recidiva, praecedenti ut plurimum gravior morbus, occurrit; quem interim, sub eadem, qua ille disparuit, cura persaepe sanavimus. Frequenter pulmonum cum pleura morbosa post peripneumonias adhaesio remanet; atque cum dispnoea subinde, hoc ex vitio non ubique derivanda, peripneumonias sequatur; haec ipsa non raro vel ex ipso bronchiorum polyposo, sub arbusculorum forma per tussim interdum rejecto, infarctu; vel ex cellularum pulmonalium oppletionem, et callosa quasi induratione derivanda est. *Tuberculorum* in pulmonibus progenies, chronicam magis, quam inflammatoriam originem agnoscit.

§. 194. Pulmonum, et thoracis inflammationes, per *suppurationem* interdum terminantur. Nec tamen credendum ideo est, *verum* tam saepe *abscessum* in illis, quam sectionum historiae tradiderunt, detectum fuisse; sed multis, puriformis illa, sub fortiori

Suppuratio.

visceris inflammatione inter pulmonum lobos, aut hos inter ac pleuram collecta materies, licet nulla substantiae subfuisset erosio, pro abscessu imposuit (§. 128.). Ex hoc forsitan errore, magni quondam Viri, alter ille, acsi post quartum fere peripneumoniae fortioris diem, solutio morbi, ob incipientem jam pulmonum suppurationem, expectari vix posset, funestus in arte propullulavit error. Saepissime certe, vel in violentiori peripneumonia, et undecimo, et decimo quarto morbi die, nobis praesentem adhuc inflammationem venaesectionibus omnem abigere licuit; nec dies est, quo has ipsas, cum indicari viderentur, cum fructu non adhibuerimus. Est interim, ubi sat cito in suppurationem inflammatio ruit, ac plures quidem, nec ab anteriori facile determinandae conditiones hunc ad exitum disponere magis videntur. Atqui tunc varia nobis tum futurum, tum factum jam abscessum sat frequenter, licet non ubique, signa indicant, quae alibi (§. 128.) ex parte descripta habentur. In hoc quidem affectu, si fortior partis inflammatio, et tussis sicca, et dispnoea venaesectionibus longo non tempore cedat; vel si cachectica aegrotantis constitutio blandiorem

solutionis viam inire recuset; si tandem dolor quidem remittat; sed spirationis angustiae febrisque sine sputis, aut sine puriformi in utinis sedimento, lentae in modum, imprimis a pastu, et a motu auctae, continent; si horror levis cutem meridianis horis perstringat; si inutilis sudor tum caput, tum pectus inundet; si fortis interdum pungensque dolor pectus quasi transfigat; tunc de incepto jam suppurationis opere timendum est; licet et sub his rerum circumstantiis, imprimis sub rheumatico morbi principio, incussum nobis ab imminente pulmonis abscessu metum, felici solutione non semel ablatum esse recordemur.

Jam factam hoc in viscere, aut ad thoracem, suppurationem docent tum signorum vix adductorum continuatio; tum frequentior pulsus, et vespertina febriculae exacerbatio, horripilatio, genarum rubor, calorque ad volas manuum urens, respiratio frequens, ac difficilis, oedema pedum: quae singula post matutinos sudores remittunt; tum magna corporis sub majori ciborum appetitu, macies, continua sitis, ac certa, ad locum saepe, quo dolor pridem vexaverat, gravitas, aut in illum, aut super alium decumbendi difficultas.

Vomica :

§. 195. Sub his igitur rerum conditionibus aut pus verum, aut sanies, aut foetidus ichor, in proprio cavo per substantiae pulmonalis consumptionem nato, vel in abscessu, cui *vomicae* nomen tribuitur, delitescit; et nunc minor, nunc major, vario pulmonum, pleurae loco inhaeret. Pro varia vomicae amplitudine, ac pro vario febris, sub qua nascitur, gradu, lentior aut citior ejusdem maturatio contingit; ac pro diverso ejusdem situ, pro partium abhinc compressarum numero ac dignitate, symptomata diversa nascuntur. Rumpitur autem maturitatem adempta vomica vel in bronchia: quorum rami ab initio clausi, dein vero inaequales ac laceri cum saeco purulento communicant; vel in pulmonum substantiam cellularem, inflammatione minus contractam; vel in cavum thoracis: quod interdum quasi vacuum, interdum vero per novam, ac sub morbo ipso generatam cellulosa repletum est; vel in partes, cum quibus sub inflammatione pulmones concreverant; vel denique in bronchia et in dicta vix loca simul. Si in cavum bronchiorum rumpatur abscessus: tunc vel parva, ac per tracheam facile expellenda copia; — vel majori, quam quae ejici queat, purulenta ma-

teria prorumpit: quo in ultimo casu, anxietas magna, vertigo, tremor, lipothymia, suffocationis metus, catarrhus suffocativus, suffocatio ipsa contingunt. Si in cellulosa pulmonis purulenta effundatur materia; tunc, praeter auctam mox respirandi difficultatem, sequentur novae quasi ad pulmones inflammationis symptomata; si ad cavum thoracis puris evacuatio contingat; tunc, nisi cellulosa repletum sit illud; *empyematis* producentur symptomata; si vero in partes cum vomica concretas viam sibi praeparet materia; tunc mox, ad pleuram haerens, abscessum istius inter costas referre videbitur; mox in pericardii cavum depleta, hydropis in eodem symptomata producet; mox per diaphragma ad hepar, lienem, ad cavum abdominis sibi viam aperiet; mox vero ad mediastini anterius, posterius cavum penetrans, propria cuivis loco phaenomena excitabit. Rarissimum est, purulentam ex vomica materiam resorptam vel ad aliam partem deponi, vel copiosa, ac purulenta urina excerni.

§. 196. Puris autem inter pulmonem ac pleuram in cavo thoracis collectio vel in hoc ipso fluctuans, vel in cellulari tela pulmonem

Empyema.

inter ac pleuram morbose subtensa, inaequaliter diffusa, *empyema* vocatur, cujus, post praegressa inflammationis, ac vomicae signa, praesentiam, in primo casu, ex novae quasi inflammationis symptomatibus, ac rupturae perceptione, mox majorem pulmoni libertatem concessuris; ex tussi post breve iterum intervallum recrudescente; ex dispnoea sub decubitu in partem sanam adaucta; ex fluctuationis interdum, cum in aliam partem corpus revolvitur, sensu; ex mutato ac pleniori subinde concussi pectoris sonitu, ex oedemate denique ad musculos dorsi, aut quadratum lumborum apparente, ac febris lentae phaenomenis, auguramur. Nec facilis pulmonalis vomicae cum pleura concretio, quominus purulenta ex illa materies in ipsum thoracis cavum evacuetur, impedit: vel enim profundius in pulmone latens vomica cum pleura forte, inflammata, non simul concrevit; vel haec ipsa, inflammatione quamplurimum libera, cum pulmone nequaquam connectitur; vel apex modo vomicae thoraci agglutinatur, et ex laterali illius ruptura pus libere in cavum pectoris prorumpit; quae tamen singula ita sunt constituta: ut in thoracis paracentesi quam maxima semper, ne

adhaerens pleurae pulmo laedatur, cautela adhibenda sit. Ubi major puris quantitas thoracis in cavo accumulatur; tunc pondere suo diaphragma, sub erecto corporis situ, versus abdomen propellens, hypochondrii non modo tumorem efficere, sed et costas in majorem hac in parte arcum elevare, vel ascitem aliquando mentiri potest. Sub sterno effusus humor purulentus, hoc ipsum aliquando aggressus est, cariemque hoc in osse produxit. Ad pleuram abscessu stagnans ichor, quem parvus mollisque inter costas tumor, cutisque nonnunquam oedema prodit, similia patrasse, et nobis experientia compertum est. Saepius vero, cum pus thorace contentum, vel totam istius capacitatem replet; vel spissiore naturam; vel cellulosa susceptum haeret: tunc plurimae empyematis diagnosin difficultates premunt.

§. 197. Singula haec mala (§§. 193. 194. 195.) funestum saepius peripneumoniae in pulmonalem phthisin exitum determinant. Ipsa quidem pulmonis vomica in bronchiorum cava depleta, sub debito aegrotantis regimine, curationem nonnunquam admittit; vel per longos in aliis annos, ob

Suppur. pro
gnosis.

callosam sacci naturam, vicinam visceris substantiam diutius intactam relinquit; sed frequens certe vomicarum in foedum pulmonis ulcus conversio est: quam tandem infelix non minus, quam suppurata pulmonum tubercula, insequitur tabes.

peripn. infl.
cura .

§. 198. Praeter communes curandae inflammationis regulas (§. 133.) in tam exitiali facile morbo cum possibili celeritate administrandas, varia, quae pulmones ipsos respiciunt, subsidia in usum mox trahenda veniunt.

In vera igitur pulmonum inflammatione, sanguis illico, et ex amplo vulnere, brevibusque satis, ne prioris venaesectionis ante novam elidantur effectus, intervallis liberaliter mittendus est. Parum interest, quo demum ex brachio cruor mittatur; dummodo hic ipse cum impetu, sat multus, non tamen ad lipotymiam usque, prosiliat: quod ex venarum pedis sectione, minus hic proficua, difficulter obtinetur. Venaesectionum numerus, sanguinisque detrahendi quantitas violentiae morbi, epidemiae naturae, tempori, quo institui illae coeperunt, temperamento, aetati, sexui, viribus, ac demum ipsi hujus

auxilii effectui, respondeant oportet. Paucae sub ipso morbi principio institutae venaesectiones non raro morbum promptissime divertunt; sed, plurimum jam infarcto pulmone, nisi plurimus sanguis audacter mittatur; certe, vel mortis, vel, non fere minus lethalis, suppurationis exitus pericula instant. Dispnoeae, anhelationis, angustiae, dolorisque; — non pulsus, hic potissimum habenda est ratio. Saepe in morbi istius augmento, sub pulsu minori ac contracto, sub facie pallida, extremitatibus fere frigidis, ac apparente summa aegrotantis debilitate, magis, quam sub contrariis rerum conditionibus, repetita celerique venaesectione indigemus; saepe cum pulsu duro ac pleno, dolore ac respirandi difficultate dispulsis, venam non ultro aperimus. Nec sola doloris cessatio, nos, ut a venaesectione abstineamus, si dispnoea continuet, inducit. Similia et de animi deliquiis, nisi *vera* debilitas subsit, sed ex incendio principiique vitalis obsidione proveniat, dicenda sunt; ac plures qui, *sedentes*, sanguinem sine lipothymia non patiebantur educi; in *horizontali* corporis situ, quam volebamus, cruoris quantitatem animose fundebant. Sanguinis quidem conditio

emissi, factam de morbo diagnosin aliquatenus confirmat; sed quaecunque coloris, firmitatis, ac crustae pleuriticae indicia sint; haec ipsa venaesectionis per alia jam satis indicatae necessitatem non imminuunt. Saepius primum hoc in morbo detractum cruorem nec fere coagulari quidem conspeximus; cum tertia vel quarta venaesectio tenacissimum super firmo densoque sanguine corium ostenderet illico; neque hoc ipsum, licet densissimum, repetendae operationis sat firmum largitur argumentum. Saepe vero dolor febrisque a prima venaesectioe augeri potius, quam imminui videntur: quae tamen a repetito frequentius auxilio, subsidium majus habebunt. Frequens hoc in morbo pulsus, licet pleni, ac durioris, intermissio observatur: quae tamen ab ipsa sanguinis detractioe, ex aliis signis indicata, disparet. Nec diarrhoea, quae sub inflammatoriis oboritur symptomatis, a venaesectioe, quae saepius et illi remedium constituit, absterreat. Eadem de vomitu bilioso, stomachique oppressione, si de vera peripneumonia satis constiterit, dicenda sunt. Sub ipso menstruorum, lochiorum fluxu, si gravis sic jusserit pulmonum inflammatio, aperienda vena est;

plures.

pluresque ferentes utero mulieres non aliter, ac saepius cum integra foetus conservatione, tractavimus. Serius vero hoc in morbo, ac undecimo etiam die, tardiusque ad venaesectiones frequentes interdum, ac sine ulla dierum, quos criticos vocant, nisi verae nunc criseos signa comparerent, habita ratione, recurrimus; plurimosque certe, quos jam suppuratos, vel morti vicinos esse dixerunt, sine ulla ad pectus labe felicissime restituimus.

Est interim et huic demum auxilio modus finisque ponendus: ne vel necessarias ad crisin salutarem, vel ad suppurationem, quam evitare amplius non datum est, vires petulanter dissipemus; vel aegrotantem in periculosum hydropem conjiciamus: qui tamen hic frequentius omissae, quam repetitae venaesectionis effectus est. Teneriores quidem pueri venaesectiones tam facile, quam adulti, non perferunt; sed et in illis, sub graviore morbo, sanguis, pro aetatis ratione, vel ex venis majoribus, vel hirudinum ope, mittendus est. Nec senes hoc a morbo correpti venaesectiones non facile perferunt; et octogenario nuper viro, per *novem* venaesectiones, periclitantem in graviore peripneumonia vitam, laeti conservavimus. Tantum vero abest,

ut sanguinis hoc in morbo liberali detractio-
 ne sputorum supprimatur, desiderata tantope-
 re, ejectio; ut melius in eodem *expectorans* non
 habeatur, quam *venaesectio*, remedium
 utque in solo inflammationis moderami-
 ne, non in irritante vel antimoniali, vel scil-
 litico, vel alio medicamento, tenacis lymphae
 in pectore pendeat resolutio. In ultimo pe-
 ripneumoniae lethalis gradu, certe nec ve-
 naesectio juvat; nec quodvis aliud remedium,
 juvat; ac cum hujus aut illius vituperio iner-
 mem tam infaustis rebus artem opponimus;
 interim audaces, saepe, non fortuna quidem,
 sed consilium juvat; nec raro, quod vix di-
 ctum est, sub frigidis jamjam extremitatibus,
 facie vix non cadaverica, pulsibusque mini-
 mis, impositis arteriae digitis, venam suffo-
 canti aegroto cum felici rerum exitu ape-
 ruimus, et vitae sors unica ex cuspide hae-
 sit lanceolae

Nec tamen omne semper in venaesectio-
 ne positum est subsidium; sed et alia, quae
 contra inflammationes, febrimque inflamma-
 toriam laudavimus remedia (§§. 120. 133.)
 in auxilium hic trahenda sunt, nisi quod fri-
 gidus tum potus, tum aer hoc in morbo
 magis, quam in alio, evitandi sint. Optimum

nobis tum pro medicamento, tum pro siti fallenda remedium, decoctum antiphlogisticum (N. XXV.) constituit. Per anum frequenter tum clyster emolliens (N. XXVI.) tum antiphlogisticus (N. XXVII.) injiciendus est. Acidorum mineralium, hac quidem in morborum specie, non approbamus usum; vegetabilia, tepidâ diluta, tussim nec minime exasperant, Oleosa in peripneumoniis veris medicamenta non raro evidentem utilitatem habuere; mucilago interim arabica, aut radicis salep decoctum, non minori efficacia pollent. Effrenem, nec tamen gastricam, diarrhoeam, nisi venaesectio refrenet; cum emulsione arabica (N. XV.), ac interdum cum opio ipso com-pescimus.

Sub urgente lateris dolore et scarificationes, hirudines dolenti loco applicitae, praemissis generalibus sub initio morbi venaesectionibus, egregie nonnunquam, imprimis vero in ipsa *thoracis* inflammatione (§. 187.), conducunt, ac sub venaesectionis, ob virium decrementum, dubia quidquam indicatione, saepius illam supplent: qua tamen sub longiori quidquam operatione, a pectoris cavendum est refrigerio. Acutissimos vero sub initio morbi thoracis dolores fomentatio emol-

liens, linimentum volatile, — post fractos vero inflammationis majoris impetus, vesicans dolenti loco, ut rubefaciens modo remedium, superimpositum, in casu imprimis rheumaticae affectionis, potenter moderantur; illudque et medio interdum pectori in peripneumoniis imponimus.

Sed et vapor aquae et aceti pulmonibus inflammatis frequentius in die admissus, eorundem spasmo egregie occurrit, atque tenacem bronchiorum lympham ad faciliorem ejectionem disponit.

Opium hoc in morbo non aliter, quam pacato inflammationis impetu, si vigiliae, tussisque sicca urgeant, vel si dolor magis in causa istius, quam inflammatio causa doloris extiterit, indicatur. Vix unquam hoc remedium in vera peripneumonia adhibendi oblata nobis visa est, veteribus licet non ignota, indicatio.

Post venaesectiones ac methodum antiphlogisticam hoc in morbo praemissa, refractae antimonialium, tartari emetici, vini antimoniatum, kermes mineralis doses, cum haustu salino, transpirationem moderate augendo, et expectorationem secundando saluberissimo praescribuntur consilio. Sub ipso morbi

principio, tum ista, tum quaevis alia sic dicta expectorantia, insigniter nocent.

Si per nimias forte venaesectiones, aut alia, virium languor ac debilitas occurrat; tunc camphorae, salis volatilis portio, vel Polygalae Senekae decoctum (N. XXVIII.), vel solutio gummosa (N. XXIX.), ac vesicantia potissimam laudem merentur.

Sub tenacis pituitae aut puris in pectore, suffocationem minitante collectione, vomitorium ex vino inprimis antimoniali, commendarunt. Nunquam vero haec ipsa sub peripneumonia vera, praescribere, nos quidem ausi sumus.

Peripneumoniae recidivam, in multis aegrotantibus obviam, iisdem quam primarium morbum, subsidiis pertractamus.

Qua via natura hoc in morbo crisis molitur: hac eandem secundare, medentis est.

Latentem in pulmonibus abscessum tum recto febris moderamine, tum victu, et vaporibus ad promptam perducimus maturationem, ac ad bronchia materiae exitum, quoad possumus, invitamus. Interdum venaesectio, interdum excitantia, hoc opus promovent. Rupturam vomicae per corporis motum, concussionem, accelerare, nequaquam consuli-

mus. Si tumor mollis ac fluctuans factam vel in pleura, vel in pulmone cum hac ipsa cohaerente, suppurationem ostendit; abscessus sine temporis mora aperiendus, longoque tempore sustinendus est. Empyematis, sat certo constantis, per thoracis paracenthesin tentatur medela. Purulentam sub sterno materiem, ejusdem ossis in tempore suscepta terebratio evacuat. Factam vero vel in pulmonibus, vel alibi suppurationem, secundum regulas alibi exponendas, non magno eheu! successu pertractamus.

Reliquos interdum a morbo ad thoracem dolores, tum linimento volatili cum camphora, tum sanguisugis, aut vesicante emplastro, tum herbarum narcoticarum, cicutae, hyosciami albi, in cataplasma cum lacte redactarum, opioque munitarum impositione aggredimur. Interdum alvum paulo fortius purgans remedium, aut sarsaparillae decoctum cum vino antimoniato nuptum, conducunt.

Pleurit. cura. §. 199. Pleuritidis (§. 187.) curam, pro ratione febris, causae ac vehementiae, ad easdem fere, ac de peripneumonia latae sunt, regulas instituimus. Minor interim, si haec ipsa desit, venaesectionum copiosarum,

— major vero cucurbitularum, hirudinum fomentationum, linimentorum emollientium, vesicantis, ad locum affectum applicandorum, necessitas est. Post praemissas venaesectiones, refractae antimonialium doses cum haustu salino, ac lenis transpiratio quam maxime conducunt. Abscessus ad musculos thoracis, aut ad pleuram, promptam puris, ne ad cavum pectoris viam sibi paret, aut costarum substantiam erodat, cum cautela supra (§. 198.) indicata aperiendus est.

§. 200. In peripneumoniae, quam *notham* Peripn. nothi: cura. diximus (§. 188.), cura, venaesectioni rarissime locus est. Erit autem, si peripneumoniae verae accedat quodammodo morbus, ac vires aegrotantis sub ipso satis adhuc constant aegritudinis initio: qua tamen sub rerum conditione cautissime procedendum, nec facile cruor, nisi pulsus a priori ejusdem emissione pleniores insurgant, ulterius detrahendus est. Hoc subsidio vel praestito, vel ommissio, aut cucurbitulis ad dorsum in auxilium vocatis, emeticum saepius a stertente in pectore pituita indicatur: quo pulmones a stagnante in bronchiis materia promptissime liberantur. Antimonialia deinde in refra-

ctis dosibus cum haustu salino ac infuso sambuci porrecta, novumque, si tale indicari videatur, emeticum, nec non, concessa per diem quiete, purgans alvum remedium indicantur. Serum lactis cum sinapis semine coctum, cum melle edulcoratum, tepideque haustum, pro potu inserviet. Vesicans quoque emplastrum inter scapulas vel medio pectore ponendum est. Gummi ammoniacum oxymelle squillitico solutum, et cum infuso sambuci porrectum, tum alvum solvere, tum pituitae tenacis ex bronchiis expulsionem promovere solet. Nec minus vapor ex tepida, cum aceto remixta, si aegrotantis conditio permittat, frequenter ad pulmones ducendus est.

Peripn. consens. cura.

§. 201. Peripneumoniam, ac pleuritidem *consensualem* (§. 189.), si cum inflammatione, quod fieri amat, complicata incedat; venaesectione, pro necessitate (§. 112.) cautius repetenda, in simplicio remedium prius morbum convertere; dein vero causam pulmones aut pleuram in consensum trahentem adaptatis casui remediis expellere decet. Cum igitur haec ipsa in gastricis potissimum, vel in ventriculo, vel in tubo intestinali haeren-

tibus saburris consistere soleat; valebunt nunc regulae de gastricae febris curatione (§. 109.) expositae; ac vel emeticum, vel purgans alvum remedium, pro necessitate, interpositis resolventibus, repetendum, pectus promptissime liberabit.


§. 202. In *Peripneumonia nervosa* seu ma-
 ligna (§. 190.), respectu ad viscus affe-
 ctum habito, observanda sunt illa, quae de
 febris nervosae, cum inflammatione locali
 complicatae (§. 95.) curatione exposita
 sunt. Venaesectio igitur hac in periculosa
 peripneumoniae specie, non facile, nisi ini-
 tio, in plethoricis ac junioribus subjectis
 conveniet; cum cautela, ac in ipsius Medi-
 ci praesentia instituenda. Rara hanc reite-
 randi comparebit, nisi plena periculi, necessi-
 tas; eamque nonnisi prioris evacuationis effe-
 ctus ac regnantis constitutionis natura deter-
 minabit. In genere vero hoc in morbo san-
 guis mittendus non est. Sed caveamus ite-
 rum, ne, quod summe inflammatorium est,
 ac ob hoc ipsum sub fallacis imagine debi-
 litatis incedit; pro *maligno* praepostere decla-
 remus. Sub vera igitur *nervosae febris* cum
 peripneumonia complicatione, radicis serpen-

Paripn. ner.
cura.

tariae virginianae imprimis infusum cum oxymelle; acetum camphoratum (N. XIV.), serum lactis vinosum (N. XXX.), vinum ipsum, vesicantium, ut rubefacientium, usus; vapores ex aqua et aceto, pulmonibus admittendi; ac singula demum, quae in febre nervosa commendavimus (§. 94.) auxilia, indicabuntur.

Peripn. period
cura.

§. 203. *Periodicae* peripneumoniac (§. 197.) medela ex illis repetenda est, quae de febris intermittens inflammatoriae cura (§. 70.) exposita fuerunt; atque, praemissis aliquot, pro vehementia inflammationis, venaesectionibus, aut locali vasorum depletione; vel, cum saburrae subesse videantur, earundem prompta ejectione: ad corticis mox usum, ut in perniciosis ipsis (§. 45.), recurrendum est.





O R D. III. G E N. II.

CARDITIS.



§. 204. **C**ORDI quidem, ut inflammari queat, nihil deest, quod aliis in corporis partibus incendium provocat. Sed cum in multis *cor humanum* sortem, illa, cui coeterorum corda animalium subjiciuntur, iniquiorem, ex animi in hoc ipsum majori ac funesto pathematum influxu, experiatur; fatendum tamen est, inflammationem hujus visceris rariores inter, aut saltem morbos minus succincte descriptos pertinere. Posset quidem hic scientiae defectus ex majori ac subitanea fere istius affectus mortalitate derivari; sed obstant vulnerum, non ubique tam cito hac in parte lethalium, ulcerumque in corde tum coeterorum animalium, tum hominis repletorum, exempla non pauca; ac licet haec ultima alienam subinde ab acuta inflamma-

Existencia
morbi.

tione originem agnoscant; licet etiam agglutinata cordis superficiei *intactae* lymphatica materies, pro ulcere frequenter imposuerit; non tamen desunt aut laesionum cordis externarum, per ipsam inflammationem in supurationem conversarum, aut morborum cordis acutorum, in hujus exulcerationem terminatorum, fideles historiae; nec cicatricum adeo exempla desunt: ex quibus nobilissimae corporis partis, a causis quidem externis, inflammationem comprobari nimis videamus. Sed ex eodem observationis fonte, internarum causarum hoc in morbo excitando potentiam non minus edocemur: quin tam celeri morbus progressu symptomatum continuo decursum abscondere medentibus potuerit; nec dubium est, quin simili, in cordis motum ac vibrationes, quam in articularum oscillationes, adhibita medicorum attentione, ac sub frequentiori illius in cadaveribus inquisitione, hujus visceris morbi a densa, qua involvuntur, caligine possent liberari.

Carditis :

§. 205. Sed cum de cordis inflammatione discurremus; non ejusdem modo carnosae substantiae; sed et vasorum majorum, ac

velamentorum hujus visceris incendia, sub eadem *carditidis* denominatione comprehendere fas est. Frequentior certe istorum, quam ipsius cordis, inflammatio occurrit; ac vasorum quidem, tam arteriarum, quam venarum hac in parte inflammationem, quam, sex abhinc annis pro prima vice deteximus (§. 118.), frequentius exhinc tum nos ipsi, tum amici, quibus haec communicavimus, Viri conspeximus. Pericardii etiam non tam raro nobis oblata est inflammatio; sed cordis ipsius, nisi superficiale ac erysipela^tceam, hinc inde interruptam inflammationem, nec memoria suggerit; nec diaria nostra suppeditant. Quinque certe, nisi saepius, cor totum, quasi villosum, ac pseudomembrana crassiori circumseptum, pericardium vero purulento humore plenissimum invenimus, et conservamus; sed detracto ab eodem morbosus hocce velamine: nec erosa, nec aliter, quam paulo ruberior, comparuit hujus visceris substantia.

§. 206. Si unquam cordis inflammati *Symptomata*. symptomata characteristicam, et ab aliis morbis distinctam ostenderunt naturam; oportet illa post externam imprimis, et aliorum vi-

scerum cum labe minime sociatam laesionem quam maxime in lucem venisse. Atqui tamen haec ipsa symptomata, licet mortem praecesserint, interdum sat levia fuerunt; alias vero in syncope, in tussi, respiratione difficili, palpitatione cordis, pulsu inaequali, vomitu, sudore frigido, anxietate, ac fixo ad sternum dolore consistebant. Constantius vero lipothymiae, pulsus parvi ac inaequales, sudores frigidi, anxietas, dolor sterni, ac paulo tardior febris, haec cordis vulnera comitari sunt visa. Cum his vero symptomatis illa inflammationis ab internis causis abortae correspondent quidem; sed saepius ab ipsius peripneumoniae signis non satis distingui potuerunt; rarumque fuit, cor solum, non coetera simul thoracis viscera, aegrotasse. Sic certe dolor ad sternum, cordisque regionem, utriusque interdum morbo communis observatur. Vibratio cordis et ipsi pulmonum inflammationi ex parte est; similia de pulsu intermittente, inaequali, ac de lipothymiis dicenda sunt (§. 186.).

Quotiescunque interim, absente quidem alterius in pectore morbi sat fundata suspicione, anxietas major, dolor ad cordis regionem, palpitatio ac vibratio fortis, pulsus ir-

regularis, frequentissimus, lipothymiae aut simul comparent; aut, inter haec, palpitatione cordis violens, intermittens pulsus, cum lipothymia advertuntur; aut non nisi unum ex his deesse videtur; tunc probabilius de praesente aut cordis, aut vasorum majorum, aut pericardii inflammatione argumentum habetur. Aegrotus, cujus nos arterias venasque non modo cordis, sed universi corporis, erysipelacea, sed profunde rubra phlogosi interius notatas vidimus; metu ac terrore, ob delictum capitale, insigni percussus, diuque profugus, levi primum cordis sub motu perturbatione correptus est. Auxit hanc continua imminenti poenae, ac delicti conscientia: quae noctes sub diu multas frigidasque transigere coegit: quo primum tempore palpitatione cordis urgere incoepit. Jam ira noviter excandescens, cor sibi stringi, ac frigidam quasi auram hoc ad viscus ascendere persensit. Ad nos delatus, facie pallidissimus, continuo ac profunde suspiravit; pulsus, quos facile numerari posse non credebamus, *centum octoginta quinque, ducentosque*, uno quidem minuto, ictus, ab initio fortes, summopere vibrantes ac duros, sub morbi vero fine saepe inter-

mittentes, debiles, vermiculares edebant. Cordis ipsius motus continuo insigniter vibrans, convulsivus, cum oppressione ac dolore pectoris, praecipue *sinistri*, per totum hypochondrium ejusdem lateris extenso, tactumque fugiente. Cum vero dies *octodecim* his sub tormentis apud nos degisset; accedente sub fine morbi instantis suffocationis metu ac lipothymia frequentiori, subitaneo in alterum latus conversus motu, praecipitanter exspiravit. Cadaver a nobis dissectum, praeter dictam vasorum phlogosin, copiosam et quasi sanguine tinctam, in utroque thoracis cavo aquam exhibuit; in praetumido pericardio septem circiter unciae ejusdem naturae liquoris stagnabant. Cor ipsum praegrande, aneurisma referens ac ponderosum, ad superficiem externam naturali magis, cum vasis quasi injectis, rubebat; interna pericardii facies inflammata; pulmones dorsum versus sanguine quidem infarcti; neutiquam vero inflammati. Pleura in *dextro* pectoris cavo, quo dolorem minus accusaverat vivus, insigni inflammatione correpta fuit. Atqui varia quidem hic sunt, quae tum aquis in thorace stagnantibus, tum istius inflammationi, non inique possent attribui; sed plura jubent

jubent tum aquas in pectore, tum pleurae phlogosin ex ipso cordis vasorumque affectu derivare; et cum millenos ex peripneumonia, pleuritide ac pectoris hydrope acuto decumbentes viderimus; neminem tamen prius cum pulsu tam duro, tamque frequenti, cum tanta cordis, arteriarumque vibratione, cum lipothymiis, angustiis, doloribus praecordiorum tantis, conspexeramus. Eandem vero arteriarum majorum circa cor inflammationem in aliis quibusdam subjectis cum eodem fere pulsu, supra omnes vibrante, sed sine lipothymiis ac sine ictuum intermittentiis observavimus: ut igitur nec in hac viciniarum, nec in cordis ipsius inflammatione, sat constans ac perpetuum signum indicare; — sed tamen ex singulis simul collectis, ad praesentem carditidem non sine aliquo veritatis fundamento concludere liceat..

§. 307. Nec tamen haec ipsa diagnosis instabilitas, in morbi cum peripneumonia quamplurimum conspirantis curatione, majorem parere difficultatem posset; nisi nobilitas, dignitasque visceris eandem ultro au-


Cura :

geret. In eadem interim methodo, quam quae in violentissima quavis peripneumonia commendata fuit (§. 198.), auxilium omne quaerendum videtur.



O R D. III. G E N. III.

DIAPHRAGMITIS.



§. 208. **E**X vana hypothese *Paraphrenitidis* Raritas mor-
bi. nomen *Diaphragmatis inflammationem* exprime inventum est. Latissimum vero hoc septum sat raro in homine incenditur; et quamvis pulmonibus, jecinori, aut lieni, cum haec viscera inflammantur, intimius agglutinetur, ac malam sortem cum eisdem frequenter dividat (§. 186.); oppido pauca tamen, sub tot cadaverum sectionibus, *primariam* hujus partis inflammationem nobis obtulerunt.


§. 209. Est tamen, ubi et haec malorum species homini insidiatur, oriturque morbus, cui *Diaphragmitis* nomen est: qui, licet aequae nunc ad pleuritidem, nunc vero ad peritonaei inflammationem referri queat; distinctam tamen ab his appellationem, locumque hac in morborum classe sibi proprium meretur.

Symptomata.

§. 210. Nèc tamen symptomata, ab antiquis huic morbo attributa, *insania* scilicet, aut *risus sardonius*, diaphragmitidi magis, quam cuivis alii inflammationi, adnumeranda sunt; saepiusque, non musculosa modo, sed, cui magis haec adscribi solebant, tendinea diaphragmatis portio, sine deliriis ac sine faciei ad risum contractione, inflammatione correpta fuit. Frequentiora certe symptomata in diaphragmitide, sunt: dolor sub ster- no, vel ad lumbos, vel sub costarum forni- ce profundus, acutissimus; sub inspiratione altiori ad inferiora descendens, ac sub hac ipsa, vel sub nixu quovis, vel sub ciborum in stomachum ingressu, aut sub epigastricae regionis compressione adauctus, sub exspira- tione decrescens, ac sublimior; cum anxie- tate, inquietudine magna, interdum cum sin- gultu, tormenta insigniter augente; cum re- spiratione parva, celeri, suffocativa, quie- scente abdomine, solo fere thorace peracta; et demum cum febre acuta, ejusque sympto- matis pedisequis incedens. Virum, paucos ante annos, conspeximus, qui, licet continue ac furiose delirans, cum tamen ad hypochon- dria tensa ac inflata comprimeretur; dolorum sensum non exiguum manifestabat saepius;

singultiebat , risuque sardonio affectus , sub acutissima febre , altera mox die exspiravit . Hic vero diaphragma sanum , sed copiosos in tenuibus , crassisque intestinis ascarides lumbricoides , multasque saburras in cadavere ostendit .

§. 211. Praesentem diaphragmitidem , Cura .
 si cum febre inflammatoria incedat ; metho-
 do non alia , quam quae peripneumoniae vé-
 rae convenit (§. 198.) , pertractamus . Si al-
 terius naturae febrim , causasque alias agno-
 scat morbus : medendi ratio ex dictis alibi
 petenda est . Decubitus eligatur aegroto mi-
 nus incommodus , nunc supinus ; nunc , pro
 varia inflammationis sede , alius . Potus non-
 nisi tepidus , paucusque simul ingerendus ;
 abdomen , hypochondria unguentis ubique
 illinienda , ac clyster frequens , non multus ,
 injiciendus est .



O R D. I V.

INFLAMMATIONES ABDOMINALES.

G E N. I.

PERITONITIS.

Notio morbi. §. 212. **P**leuram rarius inflammari, dictum est (§. 183.); de *peritoneo* contrarium observamus. Nec tamen ideo viscerum vel thorace, vel abdomine contentorum inflammationes his duabus membranis adscribendas esse censemus; sed illas modo phlogoses eisdem attribuimus, quae vel musculis ossibusque superimposita, vel in appendices prolongata haec velamenta concernunt. Hinc ad *peritonitidem* referimus non modo phlogoses per totam abdominis superficiem internam divagantes; sed etiam illas, quae ad omentum mesenteriumque locum habent, quin viscera eisdem connexa, vel stomachus, intestina, pars uteri atque vesicae, primaria inflammatione corripiantur; valetque respectu diaphragmatis exceptio, quam alibi (§. 209.) jam fecimus.

Definitio. §. 213. Ob extensionem peritonei (§. 212.) difficile est rectam peritonitidis defi-

ditionem tradere; ac pro vario hujus inflammationis situ, diversa eodem in morbo oriuntur symptomata. Vastissima ejusdem ac simul frequentissima sedes est ad musculorum abdominalium fornicem, hujusque internam, quae intestina respicit, superficiem; sed non raro, qua parte *psoas iliacique* musculi interni a peritoneo obducuntur, inflammatio haeret: quae, ad ipsas musculorum carnes ut plurimum penetrans, licet illorum fere magis, quam peritonei morbum videatur sistere; ad peritonitidem tamen non iniquo consilio refertur.

Est igitur *peritonitis* inflammatio peritonei, quo loco viscera non ambit, cum dolore, sub attactu, vel motu corporis inflammatae partem extendente, comprimente, ad aucto; ut plurimum cum febre, sine propriis aliarum phlegmasiarum abdominalium signis.

§. 214. Species hujus morbi (§. 213.) Divisio: tum sede (§. 212.), tum causa, et febris natura inter se differunt. Praecipuae, quas hic considerabimus, sunt: quae tum ad abdominalium, tum ad *psoas iliacique* musculorum superficiem contingunt, et quas *peritonitidis muscularis* sub nomine salutamus; nec infre-

quentior altera est, quam, licet utramque sexum eidem morbi speciei subjectum agnoscamus; ob uberiores tamen apud puerperas proventus, *peritonitidem puerperalem* dicemus.

Interim tum hanc ipsam, tum dicendas mox species, ad *peritonitidem membranosam* referimus: sub qua scilicet peritonaeum, nunc, quo loco vertebrarum corpora obtegit: *peritonitis dorsalis lumbalis*: — nunc, quo omentum, mesenteriumque constituit, inflammatur: quae ultimae varietates, sub *epiploitis*, ac *mesenteritis* titulo notae, nullo tamen, quo a peritonitide satis distinguantur, symptomate incedunt. Alia vero peritonitis *erysipelatis* quasi naturam assumit, ac, in latum magis diffusa, in tumorem vix conspicuum assurgit; altera, *phlegmonis* in modum, tumorem circumscriptum et propria illi symptomata exhibet. Prima, quae frequentius *symptomata* peritonaei phlogosin constituit, in abscessum raro terminatur; sed transudationibus coagulabilis lymphae ac serii in cavum abdominis favet magis: ob quem effectum *purulenta* a nobis salutatur. Altera, imprimis ad musculos obvia, in suppurationem frequenter ac in abscessus difficiles convertitur.

Coeteras, et ex febre petendas divisiones peritonitis cum illis inflammationum aliarum communes agnoscit. *Epidemico* more peritonitis ante paucos annos apud nos grassari conspecta est.

§. 215. In peritonitide sub abdominalibus musculis sedem figente (§. 213.), inflammatio per cellularem musculorum telam propagata, sensibilitatem abdominis, frequentius circa umbilicum, quam alibi, insignem, et sub qua nec minimum aegrotantes attactum perferunt, inducit. Incipit nempe hic morbus, aliarum inflammationum adinstar, ut plurimum cum horrore, calore; succedit, aut interdum etiam praecedit dolor ad certam abdominis regionem fixus et ardens: sub inspiratione, tussi, nixu, corporisque erectione insignius urgens; cum calore cutis, subjectarum partium duritie, ac circumscripto nonnunquam tumore. Subinde fibrarum muscularium tractum exprimit hic tumor, imprimis cum *rectos* abdominis occupaverit musculos: in quorum vaginas interdum aut coagulabilis lympa, aut sanguis effusus, tensionem summam, ac deliria, citamque nonnunquam gangraenam producit. Interea febris acuta et

Peritonitis
muscul.

inflammatoriorum symptomatum cohors aegrotantem divexant. Nec tamen viscerum internorum phlogosi correptorum symptomata, et ut plurimum nec vomitus, nec pertinax alvi obstructio adsociantur: quibus signis non modo, sed et illis, quae gastritidem indicant (§§. 231. 233.), musculorum abdominalium in *epigastrii* regione inflammatio, ab ipsa ventriculi inflammatione, (§. 230.) quam facile illa mentitur, distingui debet. Nonnunquam interim et nausea, et spirandi difficultas, anxietas, — ac, si inflammatio ad diaphragma ascendat, facilius singultus in graviore *peritonitide*, vix tamen primis morbi temporibus, observantur.

Psoitis.

§. 216. Si ad *psoan iliacumque* internum inflammetur peritoneum; tunc multa quidem ex praedictis (§. 214.), sed et propria his partibus signa occurrunt: quorum aliqua cum hepatitis tum ingressu suo, tum fine (§. 247.) satis conveniunt. Dolor ad dorsum, saepius vero infra regionem vesicae urinariae ex uno latere, non tam vehemens in multis, subinde autem, quod ipsimet conspeximus, fortissimus comparet. Hic idem, magis obtusus, aut et stupor, per inguen

ad femur descendit: quod sine magnis tormentis ab aegrotantibus extendi non potest. Interim nec in urina, nec in alvo excernendis difficultas haeret. Post aliquot dies, manifestus ac profuadus tumor ad psoas aut iliaci musculorum tractum, ad glandularum inguinalium externa, percipitur tactu.

§. 217. *Dorsalis, lumbalisque peritonitis* Perit. dors
lumb.
(§. 213.), obscuriora certe, quam alia quaevis hujus morbi species, symptomata offert; facileque illa cum lumbagine inflammatoria, nec tamen cum tanto aegrotantium damno, confunditur. Conveniunt ex parte symptomata cum illis *pleuritidis dorsalis* (§. 187.); ac praeter majores ad vertebrarum columnam dolores, sub erectione corporis, et abdominis contrectatione quidquam fortiori adauctos, acuta febris et major ventriculi, intestinorumque urget consensus.

Facilis vero a peritonaeo vertebrarum Mesenteris corpora obducente inflammationis ad mesenterium descensus observatur, nasciturque *mesenteritis*: cujus iterum obscurissima diagnosis existit, et quae cum intestinorum inflammatione frequenter complicatur. Profundus utplurimum dolor, a dorso, fere incipiens,

in umbilicali regione persistit, et ab attactu valdopere augetur: quo tumor simul ac durities hac in sede manifeste distinguitur, alvusque non raro pertinaciter obstruitur.

Epiplöitis.

Non minorem diagnosis incertitudinem *Epiplöitis*, seu omenti inflammatio agnoscit: quae frequenter erysipelaceam habere naturam, interdum vero cum insigni hujus partis mole, per veram inflammationem, quod pluries conspeximus, ad pollicis crassitudinem et ultra adaucta, incedere observatur. Peritonitidis ad abdominales musculos (§. 214.), ac signorum, quae intestinorum inflammationi competunt (§. 240.), absentia, cum febre acuta, dolore acri, partem abdominis anteriorem et priorem, tam supra, quam infra umbilicum, occupante, cum tumore, tensione, tactusque impatientia, lucem hic aliquam accendere possunt.

Perit. membr.
purulenta.

Sed vel sola peritonaei superficialis lateque extensa inflammatio (§. 213.), vel conjuncta huic ipsi mesenterii, omenti phlogosis, frequentissimam interitus causam, tum aetati, sexui cuivis; tum inprimis *puerperis* (§. 213.) largitur. Sub his rerum circumstantiis, post atroces abdominis, interdum quasi colicos, cruciatus, cum acuta febre

incedentes, et a minimo attactu exasperatos, in tumorem venter ac metzeorismum assurgit. Accedunt non raro anxietas, respiratio difficilis, nausea, vomitus, tandem, aut et primi jam ingressus tempore, diarrhoea; singultus, deliria, sopor, ac lethalis gangraenae symptomata.

Juvat interim eorum, quae *puerperis* hoc Febris puerperae dicta. a morbo frequentius contingunt, et quibus factum est, ut haec affectio, *febris puerperalis* sibi nomen, et peculiarẽ medentium attentionem acquisiverit, memoriam hic injicere.

Invadit autem haec ipsa mulierem nunc Symptomata, brevi ante partum mora; nunc mox a partu, vel abortu, vel etiam remotiori ab hoc ipso tempore; ut plurimum vero secundo vel tertio die: quo fere tempore febris, quam *lacteam* appellant, mulierem tenet. Horripilatio, vel et rigor subinde puerperam invadit, sequiturque calor nunc moderatus, nunc intensus, ac siccus, cum cephalalgia, inquietudine, pulsu contracto, vix adeo frequenti, interdum sat pleno, sed, ob animi corporisque sensibilitatem, a re fere quavis mutabili.

Atqui hoc ipsum morbi initium cum febre Differentiae. sic dicta *lactea* quamplurimum conspirat,

et in istius tempora incidens, nonnisi dolorum abdominalium accessione, continuacione, ac vehementia, majori lassitudine, caloreque sicco, nec fere remittente, internoscitur. Mammarum in illa turgescencia, tensio, dolor ad subaxillare cavum expansus, nec in omni puerpera tam notabilia sunt, ut ex illorum absentia ad morbum, de quo agimus, concludere mox liceat; nec in *peritonitide puerperali* tam continuo deficiunt; ut ex eorundem praesentia, ad ejusdem morbi absentiam sat tuto argumentari possimus. Non igitur, nisi vehementiae, nec non extensionis gradu, uterque morbus, si in idem fere tempus incidat, distinguitur; neque minor in *peritonitide puerperali*, ab incipiente uteri inflammatione internoscenda, difficultas haerebit, si forte dolor acerbus hypogastrii regionem occupaverit: cum et hac in regione non raro peritoneum inflammari, atque solum, non minores, quam in *metritide* dolores inferre observetur. Os uteri certe nec in puerperali peritonitide, facile nec in uteri inflammatione ubique dolet; licet ex hoc ipso, si praesens fuerit, dolore, ardore vehementi cum febre, signisque (§. 225.) recensendis, ad hujus visceris inflammationem concludere recte queamus.

Comitantur vero quamplurimum, aut jam in vicina partui muliere praecesserunt peritonitidem signa gastrica (§§. 55. 100.). Aliquando tam vehemens istorum apparatus a principio morbi est: ut vel *cholera* vix non in omnibus aemuletur morbus. Nec tamen perpetua haec sunt; pluresque, vel sanissimae puerperae inopinato, ac sine praeviis saburrarum signis, hoc a morbo corripiuntur. Fallacitatis vero in his ipsis quamplurimum latere posse, nemo, qui dictorum (§. 107.) memor est, negabit; nec magis quemquam ad abdomen inflammatione correptum, — quam alium, ad caput laesum, vomitu, ac ventriculi turbis torqueri mirabimur. Alvus hoc in morbo, sub initiis, clausa; sed diarrhoea sat cito, eaque profusa, biliosa, brunea, foetidissima, cum tensione ventris, multoque a flatibus incommodo, — urinae, nisi lochiis tinctae, tenues ac crudae, vel et jumentosae, interdum cum dysuria, in conspectum veniunt; viresque vitae mox adeo labescunt, ut post paucos interdum dies jam facies aegrotantis collapsa, summaeque angustiae medentem terreant. Vix non ubique moestitia, anxietas, oculorum splendor imminutus, vel et auctus sen-

Symptomati
continuat.

sim, sitis multa, praecordiorum oppressio; brevis difficilisque respiratio, tussis sicca, abdominis intumescantiae ac torminibus respondens. Frequenter nos longa et acuta suspiria observavimus. Dolores ad supercilia, frontemque urgent; nec minus de lumborum, coxarum, femorum, scapularum cruciatu conqueruntur. Ad ventrem, circa umbilicum imprimis, tum sub costis spuris, et has inter cristamque ossis ilei superiores, nec non ad vesicae regionem de dolore, nunc aliquomodo remittente, mox vero summopere adaucto, vix unquam vero attactum perferente, lamentantur. In aliis, ex stomachi regione haec tormenta per hypochondria, versus spinam, aut ex lumbis ad uterum, quasi dolores a partu, descendunt. Post paucas horas hi ipsi, ubicunque inceperint, per totum saepe abdomen extendi solent; citoque meteorismus, cum decubitu non nisi super dorso possibili, increscit. Interdum vero non tantus abdominis, nisi sub fine, tumor, aut dispnoea, nec multa durties, adest. Aliis crus unum aut alterum tumet, dolet, aut torpet, motumque fere omnem ammittit. Pulsus saepissime nunc frequens, contractus; in aliis plenior, aut naturali non multum, nisi sub infelici

felici exitu, frequentior. Calor cutis ut plurimum siccus, interdum sudores sat copiosi. In multis haec symptomata tam cito increscunt: ut nunc tertia, nunc quarta, quinta jam die in mortem terminentur; in aliis per tres, et ultra hebdomadas aegritudo continuat. Plures forte undecimum circa diem extinguuntur. In foemina non puerpera, ac in virgine adulta, hac peritonitidis specie laborantibus, abdomen circa umbilicum sponte apertum, plurimumque puriformis materiae effluxisse conspeximus; novimusque in puerperis aliquot hoc idem, non lethali in omnibus eventu, successisse. In multis ubera, ante hunc morbum lacte turgentia, brevi tempore flaccidissima concidunt; sed vidimus, quibus haec minime, nisi sub funesto morbi exitu, et a febre magis ac diarrhoea, quam aliam ob rationem, contingebant. Idem de fluxu lochiorum dicamus, quem certe non in omni, quam *puerperalem* vocant, febre suppressum observavimus. Sub morbi augmento, praeter anxietates summas, et jactationes continuas, lipothymiae frequentes, deliria, sopores, singultus, spasmi, convulsiones, in quibusdam aphonia, sudores copiosi, dolores quasi pleuritici, spirandique dif-

ficultas accedunt; sunt tamen, quae ad mortem usque nec quidquam delirent. Ubi longius decurrit morbus, apparent hinc illinc remissiones aliquae; sed rigor novus superaccedens, mox in pristinas aegrotantem miserias conjicit, vomitusque ipse recrudescit, ac vix non singula febris *nervosae stupidae* symptomata (§. 88.) hoc in ultimo stadio se manifestant. Acerrimum, ac nates erodens ex utero serum copiose, sed lethali cum eventu, fluxisse in muliere observavimus. In alia sopor apoplecticus ac hemiplegia, cum pulsu tamen frequenti, interitum praecessit. Interdum ventris cruciatus ad ultimum vitae terminum feroces continuant; in quibusdam tempore ante mortem aliquo, dolores, evanescent; sed meteorismus continuo augetur, tandemque sub inscia faecum ac urinae foetidissimarum depositione, aut et pertinaci, quod vidimus, alvi obstructione, ex intestinorum inter se ipsa concretione derivanda, sub frequenti singultu, lipothymia, arteriarum ictus celerissimi, exilissimi redduntur, extremitates frigescent, ac lethalis in abdomine gangraenae symptomata comparent, et aegrota, sub nova tandem exacerbatione, vel convulsa, vel apoplecticorum fere more, extinguitur.

Si morbus minori violentia puerperam tenue-

rit; tunc ut plurimum per diarrhoeam, interdum per urinas atque sudores levamen adfertur.

Quamvis autem hanc *puerperalem*, ut *Sedes inflam.* vocant, febrim ad peritonitidem revocandam esse credamus; fatendum tamen est, sectione cadaverum multiplicem inflammationis sedem, tum ab aliis, tum a nobismetipsis fuisse detectam. Uterum quidem vix non semper ab inflammatione liberum conspeximus; frequentius vero in tubis ovariisque livor apparuit. Nec tamen ubique proliferum viscus a superficiali incendio liberrimum inventum est. Intestinorum vero, omenti, peritonaei vix non quovis in casu inflammatio, tum ab aliis, tum a nobis adnotata est. Ut plurimum totam hujus velamenti fornicem, quo loco dolor urgebat, evidenti inflammatione correptam offendimus; ex quibus omnibus concludimus: locum quidem ac viscus non esse, ad quae hoc in morbo inflammatio constanter detegatur; sed tamen hanc ipsam nunquam non adesse, ac frequentissime vel in ipso peritoneo, vel in ejusdem appendicibus, quousque extenduntur, reperiri. Quod vero constantissimum hac in affectione observatur, est *acutus, purulentusque hydrops*, sub quo ubique sat magna seri turbidi, flavi-

diusculi ac albescentis, tum non exilis lymphae coagulatae, quasi caseosae materiae, copia in abdominis cavo detegitur, partimque libere fluctuat, partim intestinis, peritonaeo, mesenterio, omento, aut utero agglutinatur. Haec materia, in iisdem subjectis, saepe pectoris in cavo, ad pleuram, pulmones, quin ipso in pericardio, sed nullibi sine manifesta in partibus his vel illis, inflammatione, invenitur; neque vel aspectu, neque chymico a nobis instituto examine, a puriformi illa materia differre observatur: quae in aliis superficierum secernentium inflammationibus, vel quovis in sexu, in quovis corporis cavo, reperitur.

Natura perit.

§. 218. Omnes vero hae peritonaei, partiumque ab eodem obiectarum inflammationes (§§. 214. 215. 216. 217.) quemadmodum aliae, diversam omnino febris naturam agnoscunt, ac, frequentius *symptomatae*, primarii morbi, a quo propullularunt, sequuntur indolem, vel saltem cum febre nunc inflammatoria, nunc vero potissimum gastrica, vel et nervosa, incedunt. *Epidemicam* interdum peritonitidis naturam esse, jam dictum est (§. 213.), atque hoc ipsum in

puerperis frequentius, quam in aliis, ob majorem has in affectiones dispositionem, observatur. Certe cum alias peritonaei inflammatio cum tantis symptomatis nequaquam incedat (§§. 214. 215. 216.); neque difficiliorem multo, quam coeterae inflammationes illa ipsa curationem admittat; *peritonitis* tamen *puerperalis* frequentius cum terribili, nec fere domando, ac vel secundo die interdum lethali symptomatum agmine incedit: ex quo clare apparet, alias simul in puerperis hujus differentiae rationes occurrere: quae majorem in istis, quam in aliis, tum frequentiam, tum lethalitatem huic morbo constituent.

§. 219. Sed in peritonitidis Causae. generales prius causas respicere interest. Sunt autem hae ab aliarum inflammationum rationibus (§. 125.) necquidquam diversae; ac vis quaecunque huic parti illata, concussio, contusio, vulnus, compressio, extensio nimia, contractio, nisus vehemens ac diuturnus, depositio materiae acris, irritantis, metastasis, ac demum fortior cum visceribus, quibuscum membrana illa cohaeret, consensus, nec non epidemica constitutio huc perti-

nent. Ex simplici intestinorum per saburras, bilemque corrupta irritatione, in febribus *gastrico nervosis* (§. 103.), vel minime inflammatoriis, non rarum est, a morte, non modo illorum, sed et mesenterii, omenti, ac peritonaei phlogosin manifestam inveniri. *Mesenterium* frequentem inflammationis causam in glandularum lymphaticarum scrophuloso infarctu et carcinomatico habitu agnoscit. *Omentum* saepissime ex abdominis laesionibus, ac sub herniae forma incarceratum, inflammatur.

Causae perit.
puerp.

Quae vero puerperas his inflammationibus frequentius ac peiori sub omine mulctari faciunt; haec certe tum in illis, quae ad pelvim ac ipsum abdomen, tum quae in toto praegnantis, parturientis ac puerperae mulieris systemate contingunt, quaerenda erunt. An et aliud, praeter humanum, foemineum animal, a partu hoc a morbo laboret, ignoramus; sed certe in nullo ex istis, tot difficultatibus et graviditas, et partus, quam humana in specie, premitur: quae, sicuti, a prima mox conceptione, in summa ventriculi, viscerum abdominalium, uterique *irritabilitate* consistunt; ita et nervorum hoc in statu non minus, quam toto puerperii tempore, *sensibilitatem* mire aductam produunt.

Ipsa vero vivendi apud mulieres ratio, ac vel durus pauperiorum, ad partum usque protentus labor; aut vita matrum ditiorum desidia et luxuriae plena, passiones animi, continuatum ad seram graviditatem cum viro commercium, vestimentorum abdomen arctius cingentium, comprimentium actio, insatiabilis ciborum quorumvis sub ultimis praegnationis mensibus ingluviés, difficilior capitis homini grandioris enixus, praeposteri ad partum labores, instrumentorum aut manuum in hoc ipso promovendo abusus, violenta placentaë extractio, vel ejusdem aut grumi sanguinis in utero retentio, lochiorum suppressio, ventris a foetu vix liberati vexatio cum fasciis, denegata puero lactatio, genitalium refrigeratio, ac alia multa, sortem humanae foeminae prae coeteris animantibus iniquiorem longe imponunt, ac frequentem, morborum quidem omnium, sed et peritonitidis largiuntur occasionem. Oportet tamen fateri, hanc ipsam, pro tam quotidianis ac generalibus morborum causis, non tam frequenter, neque alibi frequentius, quam in nosocomiis, locisque impuritate, aereque corrupto inquinatis, aut sub certis demum, nec determinandis anni constitutionibus, obser-

vari. Nec reticendum hic est, symptomata peritonitidis in puerperis, licet ab initio de inflammatoria summopere testentur natura; vix tamen adulto quidquam morbo, ut plurimum gastricae ac nervosae febris indolem quammaxime participare; neque medendi methodum antiphlogisticam, in aliis ejusdem morbi speciebus tam evidenter proficuum, nisi paucis in casibus atque sub incipiente fere solummodo aegritudine, satisfacere; ex quo apparet: causas hujus morbi apud puerperas frequentius ab illis peritonitidis verae apud alios, non parum discrepare. In *lactis* igitur ex uberibus ad abdominis viscera facta depositione ac metastasi praecipuam febris puerperalis originem deduxerunt plures: ac illud ipsum quod in abdominis cavo extravasatum invenere, pro lacte corrupto, ac acerrimo hujus morbi fomite accusarunt. Quamvis vero ex tam abundantis secretionis suppressione non parva in puerperis mala originem habeant; non tamen ex sola liquoris extravasati cum lacte similitudine, ac aliqua inter utrumque humorem animale analogia, ad lacteam illius naturam concludendum fuisset. Morbum certe eundem, quam qui pro febre puerperali declaratur, tum in

An lactea metastasis?

foemini non gravidis, neque puerperis, tum in virginibus, atque in ipsis demum viris, observavimus; eundemque liquorem purulentum in cavis abdominis, pectoris, effusum invenimus; ut nobis saltem difficile videatur; in puerperis illud pro lacte declarare, quod in his omnibus, superficiali, sat forti abdominis inflammatione correptis, non semel certe liquidum deprehendimus, et cum lacte chymica licet analysi comparatum, dotes ab isto alienas, ac similem prorsus cum quovis alio puriformi liquore (§§. 125. 128.) naturam ostendisse, compertum habemus. Cum integra coeterum in uberibus secretionem, — (§. 216.) in foeminis, quoque abortum expertis, nec lactis adhucdum copia abundantibus, febrim, quam dicunt puerperalem, adnotavimus: ut igitur hunc lacteae metastasis influxum, pro morbi, de quo agimus, origine agnoscere, tam ratione, quam experientia aliter edocti, protinus nequeamus. Lochiorum fluxum sub ipsa hac febre imperturbatum subinde continere; atque hunc ipsum saepe alibi, sine damno, in multis aut suspendi, aut parcissimum esse; hoc ejusdem suppressionem ad constantes saltem peritonitidis puerperalis causas revocare vetat.

Alii vero hunc morbum ex diuturna viscerum abdominalium per uterum gravidum compressione, et ex impetu sanguinis in liberata post partum vasa harum partium relaxata derivant; sed oporteret iterum, ex causa tam communi, frequentiore hujus affectionis genesin esse; neque hydropicorum aquis, unica licet paracentesi evacuatis, tam facile hic morbus observatur; neque rationem reddit haec opinio, cur in nosocomiis frequentius, certisque temporibus hic morbus puerperis epidemico influxu insidias struat. Ex uteri consensu febrem puerperalem accendi posse: rationi repugnare non videtur; vidimusque nuper, ex placentae portione post abortum in utero relicta, ventrem, — non quidem ad hujus regionem, sed sub lateris sinistri costis spuriis vehementer, ac cum intumescencia doluisse; rejecto vero peregrino hoc corpore, brevi mora symptomata disparuisse. Certe sub tantis ad partum in utero nixibus, aliquando laesio hujus visceris, cultro anatomico post mortem tam facile non detegenda, locum habere, febrisque puerperalis ab hoc opere *citius* insequentis causam offerre potest. Sed et tardius, et *decima quarta*, quod et nos vidimus, a partu die hic mor.

bus interdum occurrit; dein vero sub violenta uteri inflammatione, hinc summa hujus visceris irritatione, — sub magnis certe in graviditate excitatis ab eodem turbis, — sub ipso adeo carcinomate uteri, puerperalis tamen febris symptomata desunt, et cum frequentissimus hujus partis in coeteras influxus, et perpetuus in puerperis consensus est; febrem tamen, quæ ab his nomen habet, tam communem esse morbum non observamus.

Gastricæ potissimum indolis hunc morbum esse, ex vomitu ac diarrhoea, nec non ex gravidarum in saburrales collectiones dispositione, moerore, timore ante partum adactis, ex inanitione sub hoc ipso, cum summa interdum debilitate, et ex insigni non minus foecum foetore, quam magna adulti morbi cum febre gastrica nervosa similitudine, concluderunt. Quamvis vero gastricorum apparatus signorum fallacitatis habere quamplurimum possit; fatendum tamen est, saburrales causas hunc ad morbum quamplurimum contribuere; et quemadmodum hæ ipsæ intestinorum, peritonæi inflammationes producere queunt (219.); ac ipsa demum vomitoriorum, alvumque purgantium hoc in

morbo virtus frequenti experientia confirmata est; sic latens in primis viis acce peritonitidem puerperalem non raro invitare, aut ex aliis causis natam, adolescente febre, in partes suas trahere, credendum est. Sed tamen vel sub ipso cholerae morbo, ac sub vehementissimis dysenteriis, nisi inflammatio subsit, puerperalis symptomata febris non occurrunt; et violentior febris gastrica purulentum in abdomine humorem non generat. Neque, si choleram, quae ipsa nervosa magis adfectio est, excipiamus, nisi subtili simul in nervos agatur contagio, gastricarum tam cito lethalis esse natura consuevit.

Ex his omnibus apparet, obscuram valde hujus morbi in puerperis indolem, ac non facile unam, sed multiplicem ex praedictis eidem causam pro fundamento ponendam esse. Inflammatio certe in nulla, quam hucusque secuimus, puerpera, ad peritoneum vel ejusdem appendices, — nec purulenta unquam materies defuit: atque haec ipsa tam cito subsequuntur: ut pro aliorum effectu magis, quam causa, agnosci non queant.

Hinc nihil, ut opinamur, vetat, quin morbum ad *peritonitidem* referamus: quae, sicut ex quovis stimulo, et ex multiplici cau-

sarum supra commemoratarum congerie, ad partes peritonaeo investitas, hujusque appendices, in subjectis irritabilitate morbosa instructis, oriri; — ita et variam pro socia assumere febrim potest, atque rarius quidem, et non fere nisi sub initio, cum *inflammatoria*, — ut plurimum cum *gastrica*, — et, accedente contagio, aut epidemicae constitutionis influxu, cum *nervosa*, — aut quod frequentius contingit, cum *gastrico-nervosa*, incedere consuevit: sic ut raro tam pura, vel simplex sit hujus morbi natura; semperque *nervosi* aliquid adhaerens, faciat, ut nec antiphlogistica sola methodus, nec evacuatoria protinus sufficiat. Solam campanae sonitus, quae moribundis pulsare solet, perceptionem puerperis, aspectu sanissimis, sed ob plurimum jam ex partu matrum obitu perterrefactis, fatalem, febrisque puerperalis mpx occasionem fuisse, novimus.

§. 220. Peritonitis, quae circa musculos abdominales residet (§. 214.), si mature satis, Prognosis. et antequam vel ad interna magis transeat, vel in suppurationem convertatur, innotescat, Perit. musc. abd. tam periculosa esse non consuevit; frequens interim morbosa peritonaei cum intestinis

concretio ab eadem derivanda videtur. Neglecta vero, in abscessus, fistulasque difficiles, inter abdominis musculos sinuose serpentes abit. Abscessus hic interdum tam vasti oriuntur: ut, peritoneo, ob crassiorem ex inflammatione praegressa structuram, fortius resistente, ascitidem facile mentiantur, et compressis in angustum spatium intestinis, immensae magnitudinis sacco totam fere abdominis cavitatem replere observentur. Si ad interiora hi peritonei abscessus rumpantur; tunc puris in cavum abdominis depletio purulentum in hoc ipso hydropem constituit. In aliis, hanc inflammationem sequitur omenti, vel intestinorum, tum inter se ipsa, tum cum peritoneo vicino concretio.

Psoitidis.

Periculosior est peritonei super musculis *psoa*, *iliacoque* interno inflammatio (§. 215.), ac, neglecta hujus morbi sub initiis curatione, suppuratio hic loci oritur lentissime ut plurimum incedens: qua purulenta materies, vel inter peritoneum et os innominatum collecta, hoc ipsum, vicinasque lumborum vertebras, ossisque sacri substantiam, ut ipsi vidimus, lethali carie corrodit; vel ad lumbos divertitur; vel secundum musculorum abdominalium cum crista ossis ilei cohaeren-

tiam, tumorem cum fluctuatione ad coxendicem inducit; vel per inguen ad femur descendit, ac fluctuantem in hoc, facileque ad cavum abdominis retroprimendam materiam abscessu offert: quo inciso, immensa foetentis saniei copia quotidie, imprimis sub claudicantis femoris motu, excernitur; ac, latente ad pelvim carie, aut tabes purulenta, aut citata insequitur gangraena.

Interdum fistulae per cruris longitudinem divagantes, — interdum puris in pelvis aut abdominis cavum effusio, cum multiplici vicinorum viscerum laesione, cum perinaei abscessibus, aut affectibus haemorrhoides mentientibus, ac tandem cum inevitabili ubique, licet lenta, morte comparent.

Similia, saltem non minora, inflammati circa *dorsum* et *lumbos* peritonaei (§. 216.), cum in suppurationem abiverit, pericula sunt: atque praeter multiplices, ad circumjectos his partibus musculos, abscessus, et fistulas, prorenum morbo facile imponentes; ad *ciphosin*, ex vertebrarum carie oriundam, quamplurimum contribuere queunt.

Perit. dors.
lumb.

Ex *mesenterii* inflammatione (§. 216.), illa intestinorum facillime generatur; atque suppuratio hac in parte exorta, insignes ali.

Mesenterii:

quando ac fluctuante pure repletos in eadem saccos progenuit: qui, vel compressione intestina occludunt; vel, in haec ipsa aperti, purulentas ac saepissime lethales diarrhoeas, — vel, in abdominis cavum disrupti, ascitidem purulentum, brevi funestum inducunt.

Epiploit.

Omenti inflammatio, praeter facilem hujus cum ventriculo communicationem, ac largos interdum inter lamellas illius abscessus, in gangraenam pronissima observatur. Saepius interim haec pars quasi lenta, nec forte semper lethali, suppuratione consumpta, vel cum peritonaei fornice, aut intestinis concreta conspicitur. Abscessus omenti fere similem cum illis mesenterii eventum agnoscunt. Frequentior fere hujus inflammationis exitus in gangraenam observatur.

Perit. puerp.

Peritonitidis *purulentae* (§. 216.), et illius inprimis quae *puerperis* insidiatur, pericula jam satis ex dictis elucent. Summa, et vix superanda haec sunt, cum prima morbi principia pro doloribus partum naturaliter subsequentibus, aut pro lacteae sic dictae febris effectu habita, negligantur. Eo peior mulieris status erit: quo citius eam hoc malum invadit; quo vehementior istius ingressus, quo sensibilior, debilior, vel a natura, vel

ob praegressos partus labores, mulier est; quo vehementior dolor, ustionis internae sensus, inquietudo, anxietas, dispnoea, — quo manifestior abdominis tumor ac tensio, vigente licet diarrhoea; — quo impetuosior vomitus est, vel quo tardius in morbo sine dolorum levamine comparet; quo frequentior, exilior pulsus; quo magis singultus, suspiria sonora, acuta, lipothymiae, deliria, sopores urgent. In genere, primo, hujus morbi jamjam elapso stadio; fere singula prognosis de febre *nervoso gastrica* latae (§§: 93. 108.) momenta valent, et significationem vix non pejorem habere consuescunt. Superaddens huic affectioni respirandi magna difficultas, tussis aspera, ac punctorius pectoris dolor; lethali pulmones inflammatione, ac purulento thoracem hydrope occupari docent.

Ubi, sub moderata et mox initio febris accedente diarrhoea, dolores abdominis ac tensio imminuuntur; ubi pulsus ex celerioribus ac parvis, tardiores, pleniores, mollioresque fiunt; ubi respiratio sat libera manet; ubi lochia, prius suppressa, de novo prorumpunt; ubi sudor vaporosus, aequalis, ex totius corporis superficie moderate calente

elevatur; ac urinae sedimentum crassum; purulentum, aut lateritium, rubrum ostendunt; ubi somnus reficiens hinc inde mulieri conceditur; ubi vires evacuationibus necessariis pares observantur; tunc meliorem ac felicem rerum exitum sperare licebit.

Cura periton.

§. 221. Singularum peritonitidis specierum cura, ab illa vix differt, quae pro aliis inflammationibus a nobis fuit exposita (§. 133.). Causarum, et febris, quae peritonitidem comitatur, natura princeps istius fundamentum est, et pro varia illarum ratione, ac pro morbi istius complicatione, vel indole aut idiopathica, aut symptomatice, methodus nunc haec, nunc illa indicabitur. In vera igitur peritonaei inflammatione, praeter majorem causarum ab aegrotis removendarum sollicitudinem, venaesectiones, etiam repetitae, tum inprimis scarificationes, semicupia tepida, fomentationes emollientes, pondere suo nequidquam molestae, inunctiones oleosae, vel cum linimento volatili camphorato, vel interdum laudano liquido commixto, instituendae, interdum vesicantia dolenti loco applicanda, clysteres emollientes, positiones antiphlogisticae requirentur. Si gastri-

cam, aut nervosam magis febrim cum hac inflammatione incedere constet; tunc methodus his complicationibus adaptata, et in superioribus (§§. 104. 90.) satis explicita, indicabitur.

Atqui cum nullibi fere major peritonitidis, quam in illa, quam *puerperalem* dicunt, observetur complicatio; in hac certe rarum erit, inflammationem, ex qualicunque demum causa generatam, tam puram esse, vel tam simplicem diutius existere, ut, quocunque in morbi stadio, qua vera peritonitis solet, antiphlogistica methodo, valeat audacter impugnari.

Praecipua vero medentis, ac felicior certe cura, in avertenda a puerperis tam dira aegritudine consistet: atque sub ipsa jam graviditate, perque totum puerperii tempus haec continuetur oportet. Hinc in prudenti tum corporis, tum ipsius mentis regimine, in causarum hujus morbi (§. 218.), enumerationum aversione, in summa atmosphaerae puritate, in frigoris, caloris recto moderamine, in promovendo blandissimis auxiliis, nec praecipitando exclusionis tum ipsis foetus, tum secundinarum opere, atque secretionum imprimis lacteae, ac uterinae, ad naturae nu-

tum directione, potissimum curae prophylacticae versatur argumentum.

In praesentis morbi tractatione, sequentes, praeter jam dictas, regulae observandae sunt. In ipso morbi principio interest, mox primis horroribus, ac rigori occurrere: quod tum infusis leniter aromaticis, tepidiusculis, tum extremitatum frigentium fotu emolliente inprimis ad pedes, praestare licebit.

Quodsi vero causae praecesserint evidentes, quae inflammationi verae occasionem dare potuerint; si plethorica et robusta sit puerpera; si lochia aut non fluant, aut fuerint suppressa; si gastricae saburrae signa febrim ipsam non praecesserint, ac praesentia ex illis, ab irritatione magis derivari videantur, si dolor fixus et constans ad eundem abdominis locum urgere observetur; si annuus febrium character aut rheumaticam aut aliam inflammationibus faventem naturam ostenderit; si virium suppressio febre non major observetur; ac si, cum his, pulsus pleni ac vibrantes extiterint; si purulentae extravasatio materiae necdum successisse videatur; tunc vena, ut in veris inflammationibus, aperienda, ac methodus antiphlogistica, quam in communi peritonitide vix consu-

luimus, semper tamen cum certo ad puerperae statum habito respectu, adhibenda est.

Si haec singula, vel plurima ex istis, non fuerint; si copiosi in diaeta errores vel praegnationis sub tempore, vel in ipso puerperio praecesserint; si major symptomatum gastricorum apparatus, cum minori inflammationis indicio, urgeat; si primi jam febris dies praeterfluxerint; si nervoso-gastricam haec ipsa indolem (§. 103.) sat manifeste monstraverit; tunc, omissis protinus venaesectionibus, si ad superiora turgeat materia; parcas vomitorii blandi doses ex ipecacuanha, vel, nisi diarrhoea jam urgeat, cum tartaro emetico, etiam pro necessitate repetita, — ac demum vel post haec, vel, nisi indicentur, sine istis, mitiora ex evacuantibus remedia, oleum amygdalarum, cum sale medio ac syrupo, vel alia (N. XXXI.), vel simplex ricini Americani oleum, ac repetiti, non calidi nimis, emollientes clysteres, praeter illa, quae, exterius admota, spasmum ac tensionem moderare queant, indicantur.

Si vero mox cum insigni, eaque non modo apparente, sed vera debilitate morbus sensibiliorem prae coeteris, vel pathematibus

animi vexatam aggrediatur mulierem; si pulsus exiles et contracti, si lipothymiae frequentes, urinae crudae, aquosae, convulsiones ac spasmi copiose observentur; vel, ut paucis dicamus, si febris nervosae symptomata (§§. 87. 88.) potissimum urgeant; tunc certe antiphlogistica methodus nunquam, — evacuantia vero nonnisi in certioris complicationis gastricae casu, indicata erunt. In febris igitur *gastrico-nervosae* praesentia, vel unum alterumve, cum saburrae superius turgeant, emeticum; aut, cum ad inferiora tendant, infusum rhei cum emulsione arabica; — mox vero posthinc decoctum corticis cum camphora, similisque naturae clysteres, nec non alia huic feбри opposita remedia (§§. 66. III.) imperanda sunt. Si effrenis, ut in cholera, vomitus ac diarrhoea aegrotantem exhaurire videatur; tunc vel haustus antemeticus (N. XV!), potus emollientes ex radice salep, vel ex decocto panis cum larga gummi arabici portione, et paucis cinamomo; vel et juscula carniū tenuia, cum oryza cocta, vel emulsio arabica cum opio, iudicantur: viresque vitae, ut in nervosa alia, sustinendae, refocillandae sunt. Interdum radicis columbo pulvis ad scrupulum unum ter in die porrectus

profusam nimis diarrhoeam moderavit. In summo dolore, ac effreni diarrhoea, tum similia dictis, tum clysteres parvi cum amylo ac tinctura thebaica, ovique vitello praescribantur. Si per sudores morbum posse judicari, absentibus quidem tum inflammatoria febre, tum saburris, videatur; tunc haustus salinus, cum rob sambuci ac ejusdem plantae infuso, vel cum pulverum Doweri dosi (N. XXXII.), indicatur.

Sed maximae hoc in morbo difficultates ex complicatione sunt: cujus natura ex regulis sub febrium ac inflammationum aliarum explicatione jam traditis eruenda atque tractanda est.

Ubi contentus in abdomine humor purulentus per umbilicum sibi viam paraverit (§. 216.); tunc illius effluxus quovis modo promovendus, corporisque opportuna positione secundandus est. Interea vires vitae roborantibus ex cortice, et nutrientibus solícite sustinendae sunt.


Abscessus in peritonitide ad abdominales musculos exorti, matura sectione, ne a pure interiora laedantur, ac ne fistulae rebelles generentur, aperiendi sunt. Comparens in *psoitide* ad inguen tumor, quam-

primum suppurationis in eodem produntur initia, sectionem, ac opem chirurgicam, tam profundo licet abscessui vix unquam sanando parem, sibi exigit.



O R D. I V. G E N. I I.

METRITIS .



§. 222. **M**ORBUS a *peritonitide puerperali* Dispositio uteri . (§. 216.) distinctus, sed tamen ob aequas rationes mox post illam hic considerandus, est *metritis*, seu *uteri inflammatio*. Hoc ipsum viscus in virginibus necdum menstruatiss rarissimo, neque conspecto unquam a nobis exemplo, inflammatur; quamprimum autem huic excretioni adsueverit uterus; irritabilitate tunc majori excitatus, sub ipso imprimis menstrui fluxus opere violenter perturbatus, inflammationem interdum subit. Major aliquanto hunc in morbum apud mulieres matrimonio junctas, quamvis utero minime gerentes, dispositio observatur: quae, sub ipsa dein graviditate quodammodo ad aucta, mox a partu primisque puerperii temporibus quam maxima comparet; donec, penitus absoluto per aetatem sanguineo tribu-

to, pristina utero a phlogosi redeat, maneatque immunitas.

Definitio.

§. 223. Cum vero non uno semper eodemque loco, sub tam diversis foeminarum positionibus, resideat; — et ad partem nunc hanc, nunc illam, inflammetur uterus; oportet non similia, in simili licet morbo, symptomata ubique comparere; et a vicinis illi visceribus aliis, propinquae partis incendio vexatis, pro varia inflammationis in utero sede ac extensione, effectus omnino diversos observari. Atqui hoc ipsum est, quod succinctam morbi istius definitionem difficiliorem reddit, symptomatumque singulis speciebus communium numerum minorem, quam quibus hae omnes comprehendi queant, constituit. Febris certe acuta, dolor ardens, eisdemque uteri loco fixe inhaerens, anxietas, majorque stomachi consensus, fere sola hic supersunt; neque manifestus ubique tumor, neque oris uterini ardor, dolorque ab actu auctus, a primis saltem morbi initiis, et ubique comparent.

Divisio :

§. 224. Inflammanatur vero uteri nunc ex parte; nunc per omnem substantiam; at-

que in primo casu, vel ad fundum, vel ad cervicem, atque nunc ad anteriorem, nunc ad posteriorem, aut lateralem denique superficiem incenduntur. Omnes hae species in utero vel gravido, vel puerperali manifestiores redduntur, quam in quovis alio: qui ad tantum rarius volumen inflammatus ascendit, ut pelvim deserere, ac in regione hypogastrica tactui offerri, sedemque phlogosis sat certe indicare observetur.

Nec *phlegmonosa* semper hoc viscus inflammatione, sed interdum superficiali, eaque vel externa, vel interna *erysipelatosae* ferè naturae, phlogosi laborat; atque nunc *primaria*, nunc *symptomatica* prorsus affectione corripitur. Aliam etiam huic ipsi, febris, quae metritidem comitatur, diversitas, quemadmodum de aliis inflammationibus dictum est, conciliat indolem.

§. 225. In quocunque vero loco uterum Symptomata inflammatio invadat, praecipue dum magno satis impetu ac cum febre inflammatoria adoritur eundem; tunc horror ut plurimum, et anxietas foeminam corripit. Succedit calor, aestus, cum pulsa in robustis, vel abortum aut violentiam passis puerperis, magno, fre-

quenti ac duro; in aliis, sub initio quidem sat magno; sed mox parvo, ac debili, aliquando inordinato. Ardor nunc oritur, fixusque dolor, ab initio, quasi ut dolores post partum ordinarii, subinde remittens; sed post brevem moram intensiori cruciatus, ex lumbis descendere visus, revertens.

In utero non gravidæ pridem foeminae, constantior, fixior, pulsansque magis dolor; — pulsus vero ut plurimum plenior ac durior est. In puerperis quidem abdomen naturaliter tumet; sed molle observatur, primisque a partu horis, ipsius uteri adhucdum majoris et extensi subrotunda, tactu percipitur substantia. In metritide vero, hic tumor tam celeriter, quam in *peritonitide puerperali*, vix augetur; vel si hoc ipsum, ex inflammatione ad fundum uteri existente, contingat; cum sat manifesta circumscripti, uterique ipsius figurae correspondentis tumoris expansione in regione super pube media, id modo locum habet. Saepe autem primis morbi diebus abdominis tumor non tantus comparet; sed in medio pelvis incendium haerere videtur. Interea mammae aut turgent atque sroriantur; aut, lacte spoliatae, collabuntur; lochia quamplurimum, morbi vel causa, vel

effectu, disparent. Omnibus vero nunc accedunt nausea, copiosa flatuum eructatio, vomituritio, vel et flavae, aeruginosae bilis vomitus, jactatio, desidendi ad alvum vel ad urinam frequens non raro stimulus; ac illius, vel hujus in excernendo difficultas; sitis ingens, cum lingua sicca, cephalaea ad oculorum basin et occiput extensa, faciei rubore, vigiliis, delirio, suspiriis, dispnoea; hypochondriorum, lumborum tensio, dolor; vel pleuritici ad pectus, clavículas cruciatus, cum tussi sicca et molesta. Nunc demum singultus, subsultus tendinum, cum meteorismo insigni, sudoribus ad frontem, pectus, symptomaticis, ac pulsu nunc minimo, contracto, intermittente, frequentissimo accedunt; extremitates frigent; novi hinc inde vomitus herbacei coloris, novumque interdum ac validissimum frigus, gangraenae praesagium, foetidissimae saepe ex vagina materiae effluxus, faecum ac urinae in lectum depositio, sopores, lipothymiae frequentes, ac mors demum ipsa, insequuntur.

Sed, prout dictum est, pro sede inflammationis ad uterum diversa, symptomata variant. Si igitur ad *fundum* hujus visceris haereat malum; tunc imi ventris subrotun-

duſ, duruſque tumor ac dolor, ut ne contactum quidem foris admittat, comparet. Si circa *cervicem* et *osculum* eſt inflammatio; digito vaginae immiſſo, hoc ipſum clauſum dolens, fervens, durum ac retractum occurrit. Si *posteriores* uteri partes ſolum inflammatae; dolor circa lumbos fit, et ſtercora ſupprimuntur, et venae haemorrhoidales cum tenesmo turgent. Si partes matricis anteriores incendantur; tunc dolor circa pecten fit, et urinae ſtillicidium ac emittendae difficultas: qua in re tamen cavendum eſt, ne, ubi foeminis hypogaſtrium tumet, eſſi laeſi uteri non deſint notae; de *vesica* tamen, quae ante uterum ſita eſt, non omnis praetermittatur ſuſpicio. At lateribus inflammatis, et inguina tenduntur, gravantur, torpent crura, et aegre moventur; aut crus ipſum, quod e regione eſt, claudicat; aut dolor in coxam quoque tranſit. Plerumque etiam uterus apud puerperas in eam partem declinat ac retrahitur, qua inflammatus eſt, ejuſque osculum avertitur. Si totus inflammatus eſt uterus; totus vehementius pulſatorio motu dolet: ipſa autem aegrotans nec ſedere, nec ſurgere, nec pedibus ingredi poteſt, ac ſingula, quae alias ex parte

comparent , mulierem divexant sympto-
mata :

Interdum inflammatio per vaginam ex-
tenditur : quae fervet , rubet , tenditur ac ab
attactu quam maxime dolet . Ad ipsa non-
nunquam genitalia externa , vel ab his fre-
quentius ad interna , in puerperis inflammatio
propagatur .

Febris , quae metritidem comitatur , na-
tura ex illis , quae alibi satis exposita fue-
runt , maxime vero ex causis praegressis , an-
nique regnante constitutione , dijudicanda est .

§. 226. Causae vero metritidis tum alia- Causae :
rum inflammationum causis (§. 125.) fere
similes , tum propriae existunt . Potissimae
ex istis , cum illis *peritonitidis puerperalis*
(§. 218.) consentiunt ; vel in abundantis
uterinae excretionis , menstruorum , lochio-
rum , haemorrhagiae , fluoris albi , vel et hae-
morrhoidum , per causas violentas , terrorem ,
iram fortiolem , per frigus , aestuante cor-
pore , genitalibus incaute admissum , repentina
suppressione consistunt . Huc spectat abortus
ex causis vel ordinariis , vel pharmacis ex-
citatus ; lapsus gravidae in distentum uterum
percussio violens , aut conculcatio , compres-

sio, partus difficilis, sub obliquo inprimis utero, vel cum oris uterini compressione diuturna, vel in teneriori aut jam provectae aetatis primipara; versionis negotium rudi manu susceptum, vel incautus instrumentorum ad foetum extrahendum usus; placentae extractio violenta ac praematura; perinaei, vaginae laceratio, vel hujus ac uteri prolapsus; grumus sanguinis, placentae portio, ore uteri clauso, in acerrimam ac foetidissimam saniem conversa; spasmi ac dolores diuturni, violenti; fasciae puerperarum abdomini strictius circumductae, peritonitis puerperalis, etc.

Prognosis.

§. 227. Periculo plenus *metritis* morbus est, ex quo, si violentius invadat; paucissimae certe emergunt. Similes vero illis aliarum inflammationum (§. 126.) exitus hic idem agnoscit: inter quos ille in *gangraenam* frequentius occurrit. Deterior vero illa *metritis* est, quae universam uteri substantiam, vel fundum hujus visceris tenet. Minora quidquam inflammationis ad cervicem et osculum haerentis pericula sunt; ac facilior abscessus, illam forte insequentis, in vaginam depletio observatur. Quae ad anteriora,

ra, vel posteriorem ad faciem inflammatio est; ea, praeter urinae faecumque suppressarum noxas, cum suppuretur, vicinam facile vesicam, aut intestinum rectum devastat. Coeteri hujus visceris abscessus nunc, feliciori quidquam omine, in cavum illius aperiuntur; nunc vero lethali cum exitu vel in cavum abdominis ac pelvis deplentur; vel ad partes supra inguen, juxta lateris molli- tudinem, aut circa umbilicum, purulentum ac graveolentem humorem eructant. Uteri praegnantis inflammatio vix non semper, nisi prompte abortus cum haemorrhagia in- sequatur, lethalis evadit.

Resolvitur interdum metritis, imprimis si Resolutio me-
tritis. ad internam superficiem phlogosis haereat, vel lochiis, vel menstruis, aut haemorrhoi- dibus denuo comparentibus; vel largo pu- rulentum ac foetidi, vel et sanguinolenti liquo- ris ex genitalibus fluxu; vel erysipelate, rheumatismo, in aliam partem ex utero con- versis. Interdum largus ac in longum conti- nuatus, aequalis sudor, cum purulento in urinis sedimento, rarius miliaria, hunc mor- bum judicant.

Suppurationem in utero docent signa Suppuratio
uteri. abscessuum internorum communia (§. 128.)


morbique praegressi, nec benigna resolutione terminati, natura. Circa puris generationem dolores augentur, febresque cum horrore ad vesperam ingruunt; tumor super pubem, interdum ut abdominis mentiatur hydrophem, attollitur; dolor punctorius vel pulsans accedit, atque nunc urina, nunc stercoreis recrementa, aut utraque simul, supprimuntur. Ruptum vero ad uteros abscessum docent signorum, quae hunc comitabantur, mitigatio, puris graveolentis ex genitalibus effluxus, vel demum fatalia internae exulcerationis, hydropis purulenti, meteorismi, febris lentae, aut citioris gangraenae symptomata.

Induratio,
scirrhus.

Uteros ex inflammatione praegressa, tum quavis in parte, tum imprimis ad cervicem posse *indurari* ac fere callosos reddi; hoc aliarum non minus partium, quam ipsius uteri post has causas in mortuis sectio comprobavit; sed *scirrhi* hujus visceris longe aliam vix non semper habere originem videntur (§. 129.). Quodsi tamen hi ipsi post metritidem interdum observentur; hoc ipsum, tum ex resolutionis benignae, aut suppurationis ab illa defectu; tum ex febris atque doloris dissipatione, ex ipso attactu,

tumoris nempe in uteri regione renitentis, indolentis, in vaginam, in explorantem digitum, vel, sub erecta imprimis corporis positione, in perinaeum profunde ponderantis, inaequalis, tuberosi, ex corporis uterini, ad unam saepe aut alteram abdominis partem, cum ipsa osculi aversione, oblique declinantis, — tum ex cruris unius, vel utriusque stupore, dolore, varice, ac oedemate; ex lumborum tractione, doloribus; albae, tenacisque materiae ex genitalibus fluxu; menstruorum aut parvitate, aut defectu, vel et haemorrhagiis uteri insolitis; ex sterilitate, vel et abortu ad determinatum praegnationis tempus continuo, nec ex causa alia evidenti, observatis; ex vesicae, intestini recti affectibus symptomaticis, ac demum ex decolori et cachectico mulieris vultu, apparebit. *Incipiens* vero uteri scirrhus in multis non agnoscitur; vel cum aliis hujus visceris, ovariorum morbis facile confunditur. Saepe nimis interim infausta illa diagnosis, scirrhusi tumoris in exulcerationem malignam vel *carcinoma uteri*, conversione, incurabili, morteque ipsa pejori longe malo, ultro confirmatur.

Gangraenae in metritide signa ex dictis

(§. 224.) satis elucent;  ac, ob spongiosam uteri fabricam, a partus opere saepe mirum quantum labefactatam, dilaniatam, vel summa in puerperis irritabilitate, sensibilitate exuberantem, jam ad tertium interdum, aut quintum, aut septimum fere morbi diem, sub vomitu, singultu, deliriis, sopore, sub tumoris abdominalis continuo incremento, meteorismo, alvi fluxu cadaveroso, nigro, involuntario, doloris, ardorisque omnis cessatione, pulsu intermittente, minimo, frequentissimo, extremitatibus frigidis, sudoribus viscidissimis, lipothymiis, convulsionibus, lethali mox exitu comparent.

Cura :

§. 228. Facilius iterum hunc morbum consilio praevenire; quam praesentem sanare licet. Praevenimus autem, illorum, quae (§. 220.) dicta sunt, sollicita observatione, ac obstetricum circa illa, quae a gravidis, parturientibus, puerperis removenda, vel iisdem administranda sunt, recta institutione.

In ipsius metritidis iam praesentis cura, praeter regulas in quacunque viscerum inflammatione observandas (§. 133.), imprimis ad aegrotantis statum, ad causas morbi, febrisque conjunctae naturam respicia-

mus oportet. Si uterus in virgine, aut non gravida, plethorica, robustaque muliere, aut post abortum, sine magna cruoris jactura, ex causis violentis ac stimulantibus originem traxerit; tunc, alterius cujusvis inflammationis adinstar, sanguis ubertim mittendus, ac antiphlogistica methodus tum interna, tum externa, in omnibus adimplenda est. Nec ipsius menstrui, aut lochiorum, sub violenta inflammatione aliquando non penitus cessantium, ratio hic habenda, vel saltem non ob ista, venaesectio differenda, aut omittenda erit.

In *puerperis* alia venaesectionum momenta sunt; ac in illis, sub variis positionibus hae ipsae nunc prosunt; nunc insignes noxas vel in ipsa metritide habere possunt. In delicatula debilique foemina, spasmis sub partu quamplurimum vexata, et in qua lochiorum defectus non minus, quam ipsa inflammatio spasmodicae in vasis uteri contractionis ac eretismi magis effectus, quam causa est; venaesectio, imprimis repetita, non potest non debilitatem, spasmique causam augere. In casu *gastrico-nervosae* febris cum locali hac inflammatione conjunctae, facile malignam haec, nec venaesectionibus dissi-

pandam assumere naturam potest. Nec venesectione indicabitur, ubi retenta in uteri cavo vel sanguis grumosus, vel placentae portio, calore loci corrupta, sensibilem uteri substantiam irritaverint, ac inflammationis hoc in viscere symptomata induxerint; sed illa his in casibus conducent: quae vel spasmos in utero, ac nervis sedare; vel irritantem ex abdomine causam ejicere; vel putrescentem ex uteri cavo materiam educere queant. Sub diuturnis ad partum laboribus, tam vehemens utplurimum in vasorum, nervorumque systemate agitatio, tam celeres pulsus, corporis ardor, sitis, inquietudo, tam insignes sunt; ut ardentissimam quivis tunc febrem, non expertus, adesse affirmaret. Brevi vero post partum tempore, si vel primiparas sat multas excipiamus, quamplurimae mulieres doloribus, quos dolores partum insequentes nominant, tam violentis, quam fere ipsius partus labores fuere, excruciantur: quae tamen singula, per plures saepe horas extensa, vel per solitam uteri purgationem, — per quietem, lectique fotum utplurimum componuntur; vel leni narcotico oleosoque medicamento, fomentationi emollienti, antispasmodicae, ac clysteribus quam optime cedunt.

Sed quotiescunque contraria in puerperis locum habent: ubi difficilior, vel et artificialis partus in vegeta et plethorica praecesserit foemina; — ubi violentiae utero illatae suspicio est; — ubi pulsus duri, vibrantes, inflammatoriae, cum illis, febris naturam ostendunt; — ubi lochia vel inopinato suppressa sunt; vel ob nimiam vasorum sub doloribus contractionem retardantur; tunc, si a venaesectione, praesentaneo inflammationum auxilio, recesserimus; quid porro ad praepediendam uteri gangraenam utile esse possit, intelliget nemo. Hinc in venaesectionibus, pro indicatione repetendis, omne hic artis auxilium quaerendum est: eaeque tam generales, quam, per sanguisugas perinaeo, genitalium labris applicandas, locales, sine temporis jactura instituendae sunt. Vana non modo, sed noxia sunt, quaecunque hic adpellenda, ut dicunt, lochia praescribuntur: optimumque inter omnia *aristolochicum* hic erit *venaesectio*. Sub ipso vero lochiorum fluxu, vel purpura licet ad cutem apparente, si metritidis verae signa adfuerint; venaesectio non differenda; sed sanguinis portio violentiae morbi superandae non impar, nec tarda nimis manu, detrahenda est.

Praeter venaesectiones autem spasmum inflammatorium egregie solvunt tum fomentationes emollientes, quam minimo id fieri pondere potest, abdomini, — vel si cervix uteri inflammatione correpta fuerit, ope spongiæ, perinaeo applicandae; tum clysteres similes, qui frequenter satis, calore moderato, injiciendi sunt. Diarrhoeam quidem puerperis funestam vulgus supponit; sed, nisi ipsius morbi violentia, aut latente forsitan intestinorum inflammatione violens per alvum fluxus excitetur; non modo lochiorum excretionem diarrhoea moderata, faeces pultaceas, ex flavo albas, circa tertiam, quartamve puerperii diem excernens, non suspendit; sed et illorum quodammodo vices egisse, observata est. Nimiam vero atque symptomaticam per intestina excretionem, tum emulsio arabica, tum opium, frenato jam majoris inflammationis impetu, coercent.

Coeterum hoc in morbo non minus, quam in alio inflammatoriae naturae affectu, antiphlogistica methodus, cum certa tamen cautela, adhibenda est: ne remedia, irritabilem nimis puerperae naturam alio forsitan, quam coeteros aegrotantes, modo afficiant: atque vel tumultus, quos sedare contendit:

mus, adaugeant; necessariam uteri purgationem divertant; vel demum vires ultra, quam par est, infringant. Quamvis autem caloris nimii non parvae in puerperis noxae esse observentur; illa tamen, quae aequalem transpirationem suscitant, fracto jam inflammationis impetu, egregie conducunt: atque sic haustus salinus, ac lenia infusa diapnoica praescribi queunt. Ob praeeconceptam quidem opinionem puerperae a re quavis, quae vel minimum odorem spirat, apud nos quam tristissimos verentur effectus: cum multis in regionibus major, vel apud sensilissimas coeterum mulieres, in medendo libertas concedatur; interim et hic foeminarum persuasionibus, multorum saepe symptomatum origini, reluctari non convenit; nec dissimulandum est, certos fortioresque medicaminum odores, aut et dulcia quaevis, sub tam mobili nervorum statu, permultis a puerperio non sine damno offerri.

Injectiones in uterum inflammatum nec penetrant, nec facile aliter, quam irritando agere possunt. Si tamen vagina ipsa magis, quam ille, laboret; tunc cauta mucilaginis arabicae lactisque tepidi injectio acriorem, hic facile stagnantem humorem eluit, ac


spasmos relaxat. Latentia tamen in utero adhuc gravido, sed inflammato, foetus putredine correptus, — vel in puerpera aut sanguis congrumatus, aut placentae portio, quandocunque per os uteri apertum id liceat, circumspecte educenda sunt; atque hoc in casu, apud puerperas, injectio in ipsum uterum cautissime instituta, putridissimam ac stimulantem materiam eluit, educit.


Magna vero ubique spasmodum ac extremam irritabilitatis in puerperis ratio habenda, et quotiescunque, inflammatione jam satis dissipata, istorum symptomata occurrunt: ex opio, blandissimisque remediis sedantibus quamplurimum expectandum est.

Si uteri *suppurantis* signa (§. 226.) comparuerint; tunc omnes, quas alibi (§. 134.) exposuimus, regulae observandae, puris exitus per vaginam, aut si hoc ob sedem abscessus recuset, per intestinum, aut urethram, invitandus, ac vires vitae, quo fieri modo licebit, conservandae sunt.

Quid in vero ac jam perfecto uteri *scirrho*, et *carcinomate* faciendum sit; nos

quidem, felici experientia hoc in statu prorsus destituti, non docebimus. Quid ab aliis tentatum fuerit, ac palliativae saltem regulae methodi, alibi a nobis fusius exponentur.





O R D. I V. G E N. I I I.

G A S T R I T I S.



Ventriculi
considerat.

§. 229. *V*entriculus, cujus nemo mirabilem in homine cum quovis viscere et cum universo corpore consensum, — ac servitatem non minus, quam in singula imperium ignorat; sub multis, iisque gravioribus morbis, num in amicis organis, num vero in se ipso, istorum sedes sit, dubium relinquit. Varia etiam, sub aetate, vivendi ratione, positione corporis, tempore, aliorum viscerum conditione diversis, ventriculi tum positio, tum capacitas et extensio est: ex quibus iterum, quem ad locum morbosa referri debeat sensatio, non parva nascitur in multis difficultas.

Definitio:

§. 230. Non infrequens stomachi humani morbus est *gastritis*, aut ejusdem inflammatio; cujus quidem signa principalia in fe-

bre acuta, in epigastrii tensione, ardore, dolore, in vomituritione, anxietate, singultu, ab assumptis quibusvis mox, et cum subitanea istorum rejectione, adauctis consistunt; sed in multis, qui ventriculi post mortem phlogosin obtulere, nunc plurima ex istis defuerunt; nunc, cum pars major symptomatum in aegrotante comparuisset; vel in cadavere inflammationis ad ventriculum in vanum quaerebantur vestigia; vel ab aliis causis dictorum effectuum pependerit cohors, ac a medendi methodo, inflammationibus certe contraria, potuit dissipari.

§. 231. Attenta interim tam diri morbi Divisio 2 consideratio, ac frequens cadaverum perlustratio docuerunt: ventriculum vel *totum*, vel *ex parte*, nunc profunde satis ac *phlegmonosa* (§. 123.) inflammatione, — nunc vero superficiali, ac *erysipelacea* phlogosi laborare; in his, stomachum *primaria*; — *secundaria* in aliis inflammatione corripit; quae ultima, frequentius, quam illa, tum ad *erysipelaceas* pertinet; tum *occulta*, morborum sub fine, accenditur; ac *epidemico* nonnunquam influxu quamplures invadit. Nec minorem differentia *febris*, quae gastritidem comitatur, hoc

in morbo diversitatem parit; ac frequentius forte in ista, quam in quacunque alia, si *enteritidem* excipiamus, inflammatione, vel *gastricam*, vel *nervosam* febris indolem observamus; quando in aliis nec umbra quidem febris latentes hoc in viscere ignes prodit.

Phlegm. sym-
ptom.

§. 232. *Gastritis phlegmonosa* aliarum inflammationum adinstar, cum horrore frequenter adoritur, sequiturque aestus, ad interna major, cum siti, et anxietate praemagna, cum praecordiorum ac regionis epigastricae tensione, ardore et dolore a compressione quavis, vel et a solo digitorum, stragulorum attactu, aut fortiori inspiratione, vel tussi, vel nixu, intense mox adaucto. Sed non minus vel ad ipsum ventriculi cavum sensibilitatis morbosae augmentum, ac nauseae continuae, vomituritio, dolens ructuum multorum explosio, multusque ab assumptis, inprimis paulo irritantibus mox ardor, angustiae sensus, ac demum vomitus, urgent. Haec symptomata in casu graviore, ac nisi promptam opem feramus, citissime incrementum accipiunt: ut vel paucus, insipidus, aquosus liquor, cum intolerabili ardore vix susceptus; aut solus, aut cum multa, et aeruginosa bi-

le, rejiciatur: cum interea alvus paucissima reddit, et in multis pertinaciter obstruitur. Interea pulsus ut plurimum parvi, frequentes, contracti et duri, vel et intermittentes, inaequales observantur; vigiliae, inquietudo, jactatio, dispnoea, sitis, oris siccitas continuo augentur; superadditur singultus, dolorem visceris insigniter excitans; facies collapsa, cum extremitatum perfrigerio, virium prostratione summa, ac, spasmo ad duodenum extenso, comparente in quibusdam ictero; nonnunquam cum deliriis: donec, cessante quovis in epigastrio aut ardore, aut dolore, — crescente ventriculi, abdominis flatulenta intumescencia, regurgitatione potus, et crebra seri cum impetu quodam effusione, extremitatum marmoreo vix non frigore, fatalis in ventriculo gangraenae signa cum lipothymiis, convulsionibus compareant, in illa mortis brevi tempore convertenda.

§. 233. *Gastritidis erysipelatosae* natura, nisi ex febris inflammatoriae absentia, et Gastrit. Ery-
sipelat. causarum illi faventium apparatu, difficulter eruitur. Si post erysipelas aliudve exanthema ad externa corporis evanescens gastritidis symptomata insurgant; si oris, fauciumque

ardor ac phlogosis adesse observentur; si febris gastrica, nervosa, aut aphthae praecesserint, ac sub majori jam corporis debilitate, vel in subjecto cachectico, inflammationis ad ventriculum phaenomena insequantur; si venenosa, aut suspecta materies deglutita, haec ipsa induxerit; si interiora urantur, exteriora vero frigeant, rigeantque; tunc ad *erysipelatosam* gastritidis naturam sat tuto concluditur.

Differ. ab aliis
morb.

§. 234. Maxime tamen interest, illorum; quae de ventriculi sensibilitate in gastricis febribus morbosa (§. 103.) dicta sunt, non oblivisci; ac genitos a bile acriori, aut saburris ad stomachum dolores, cum gastritide nunquam confundere. *Choleram*, rariorem, ac fere autumnalem morbum, ex praecipiti ac violenta per oesophagum ac anum evacuatione, et quod, vel potu nullo assumpto, continuus tamen, et copiosus hic vomitus urgeat, nec tantus ab illo mox ardor in ventriculo persentiatur, et quod febre careat, a gastritide distinguemus. *Cardialgia*, tum febris iterum, tum sitis majoris absentia, ardore non tam igneo ac fixo, tandem vero per reliquam aut medicamenta, aut potum

tum saltem aliquem, assumendi potestatem a gastritide differt. Musculorum epigastrii, ac peritonaei eisdem substrati inflammatio (§. 214.), tumorem externum, calentem, ab attactu magis dolentem, circumscriptum, ac mitiora longe, quam gastritis, symptomata offert. Difficilior interdum *hepatitidis*, in gastritidem facile transeuntis, ab hac ipsa distinctio erit; sed deest, saltem a morbi principio, intensus ille ad ventriculum ardor; nec a quovis mox assumpto vel potu, vel medicamine, vomitus tam subito ac sub tantis angustiis excitatur; nec pulsus hic tam frequentes, tamque contracti et exiles, quam in gastritide ipsa, comparent.

§. 235. Quae alias inflammationes, — hae *Causae* : et gastritidem causae inducere solent. Frequentissimae tum ex istis, tum ex aliis, ventriculo fere propriis, sunt: laesiones externae, contusio, vulnus, hernia, res deglutitae, tum vi mechanica, tum acredine ventriculum stimulantibus, lacerantibus, pungentibus, erodentibus: ut vitrum, aciculae, ossa acuta, venena corrosiva, inprimis arsenicum, mercurius sublimatus; emetica, cathartica, fungi, aliaque ex venenosis vegetabilia,

balneum frigidum , aut potus glaciatus ,
glacies ipsa , aestuanti ventriculo copiose
affatimque ingesta ; vel et calidissimus cibus ,
aut ardentissimus vini spiritus incaute ingur-
gitatus , extensio ventriculi nimia ab alimen-
tis fermentantibus , durioribus ; vulnera , lae-
siones aliae capitis , quae singulari in abdo-
minis viscera influxu , hepar , ventriculum ,
etc. inflammant , et abscessus hic loci indu-
cunt . Ad internas magis gastritidis causas
spectant : visceris propinqui , omenti , inte-
stinorum , hepatis , lienis , diaphragmatis in-
flammatiō ; acre quodcunque vel in stoma-
cho , vel in alia corporis parte generatum ,
evolutum , vel ad eundem depositum , quo
spectant saburrales ac biliosae materiae sub
fine febrium gastricarum ; acre arthriticum ,
toties a pedibus ad ventriculum aberrans ;
nec minus rheumatica , erysipelacea , ulcero-
sa , scabiosa , scorbutica , exanthematica quae-
vis acrimonia , diarrhoea critica , vel et ha-
bitualis , aut haemorrhagia naturalis , vel so-
lita , inprimis illa haemorrhoidum , suppressa ;
excandescētia animi vehemens , et assumpta
mox ab ista emeticum aut drastica remedia ,
vel potus frigidissimus .

§. 236. Summa hunc morbum, ob sen- Prognosis.
 silissimam ac consentientem ventriculi cum
 universo corpore naturam, pericula premunt;
 sub quibus tam celeri nonnunquam morte
 rapiuntur aegroti; ut convulsione magis, aut
 momentanea actionum vitalium abolitione,
 ex solo nervorum in easdem imperio deri-
 vanda, quam alio videantur extinguere inflam-
 mationis eventu. Saepius tamen per paucos
 vix dies extensi morbi effectus in membra-
 nae ventriculi internae gangraena, totidem-
 que maculis latis, aut petechiae similibus
 vix exterius conspiciendo ad ventriculum vi-
 tio, consistit. Post venena assumpta, a po-
 dagra retrogressa, atque in subjectis admodum
 sensibilibus, celerrimus morbi decursus; pau-
 lo vero lentior in illis est, qui, ex causa
 minus violenta hoc ipso decumbunt. Gastri-
 tis *erysipelacea* (§. 232.), nec non illa, quae
 cum febre nervosa incedit, in gangraenam
 promptissime convertitur; *phlegmonosa* ve-
 ro (§. 231.), nisi resolvatur, atque sub
 minori, quam quae illam inducat, impetu;
 in abscessus aut vomicas, — his autem vel
 in cavum abdominis, vel in viscerum vici-
 norum substantiam, aut, quod feliciori non-
 nunquam omine contingit, in ventriculi ipsius

cavum apertis; in sordida non raro ulcera; mutatur.

Resolutio.

Resolutionem exspectamus, si causae minus violentae, nec deleteriae prorsus naturae, aptissima sub ipso morbi principio medela impugnari queant; si post celebratas venae-sectiones arteriae dilatentur pulsusque insurgant; si ardor extremus atque dolor ventriculi moderentur; si deglutiti portio potus retineri queat, et alvus sponte reseretur. Interim et aliae per sudores, urinam, imprimis vero per alvum excretiones benigniorem morbi judicationem confirmant.

Suppuratio.

In *suppurationem* abiisse gastritidem; ex febris diurnitate ac vehementia, dein vero ex dolorum remissione, anxietate tamen et nausea nequaquam evanescente, ex ponderis ad ventriculum sensu, ac demum signis, quae internis suppurationibus propria esse diximus (§. 128.), pernoscimus. Si ad ventriculi cavum aperiatur abscessus; tunc copiosa, cum sanguine interdum commixta, purulenta materies per vomitum, vel et per intestina, rejicitur. Rarum est, ventriculum cum peritoneo, quo loco abscessus in illo latet, concretum, purulentam materiam per erosam epigastrii, vel et umbilici regionem

eructasse . Si abdominis in cavum abscessus rumpatur : mors certa ; — et si ad viscera vicina pus destillet : tabes purulenta , et hydrops , non minus lethalia , succedent : quae et *ulcera ventriculi* , continuante in eodem ardore , dolore ab assumptis , imprimis acrioribus , aut a compressione epigastrii , perpetuo adaucto , cum singultu ac vomitu frequenti , purulentae , saniosae , ac viscidissimae , aut et foetidae materiae portionem , aut purum , multumque sanguinem hinc inde rejiciente , frequenter terminabunt .

In *scirrhum* gastritis frequenter abire Scirrhus : non videtur ; illius vero signa ex alio melius , quam hoc ipso , loco patebunt .

Gangraenam ex gastritide , ex ultimis Gangraena. lethalis morbi signis (§. 231.) facile praevidemus , noscimusque praesentem .

§. 237. De illis , quae ad *praecavendam* Cura : gastritidem necessaria sunt , longior , quam ut hic tradi posset , doctrina foret . Causarum certe , quod ubique monemus , potissimam haberi rationem , easque vel expelli subito , vel corrigi , vel demum partes involventibus , oleosis , glutinosis remediis , ab iisdem defendi oportet . Ast , cum primum , ab ac

cersito tardius medico praestari non semper queat; secundum vero, certiores specificae causae aut veneni cognitionem, quam quae sub his rerum angustiis sat cito acquiri ubique posset, supponat; haec ipsa etiam causae irritantis cognitio, illam *antidotorum*, ex chemicis saepe principiis, aut ab experientiae multiplicis doctrina repetendorum, sibi requirit: quae ipsa, ex aliis Medicinae fontibus haurienda, scituque quam maxime necessaria, hic loci exponi non potest.

Praesentem vero stomachi inflammationem, causis, in quantum permittitur, abactis, mutatis, imminutis, si phlegmonosam habere indolem, et cum inflammatoria febre incedere videatur (§. 231.); venaesectionem promptam, abundantem, nec a pulsuum parvitate, nec extremitatum a frigore, vitalisque inertia principii arcendam, pro symptomatum atrocitate saepius, et ad regulas alibi expositas, repetendam, sibi exigit. Ipsa vero stomachi regio, totumque abdomen linimento volatili, cui opii portio commixta sit, illinienda, ac emolliente decocto, vel lacte tepido, in quo sapo solutus sit, fovenda sunt. Post institutam aliquoties venaesectionem, largum satis cum cantharidibus em-

plastrum, ut rubefaciens, ventriculi regioni applicandum est. Cum vero medicamentis sub inflammatione indicatis, ob summam ventriculi sensibilitatem ac vomitum, locus esse non queat; haec ipsa frequenti, sed non largo nimis, clystere per anum injicienda sunt. Quaecumque vero, ob extremam sitim aegrotus ingerere tentat: haec blandissima et demulcentia esse, ac parva simul copia assumi oportet; optimumque hic potum emulsio arabica cum dupla quantitate aquae non frigidae remixta constituet. Quemadmodum autem emeticum, his sub rerum circumstantiis praescriptum lethales omnino effectus habere consuevit; sic et cathartica remedia, ab egregiis licet Viris, sub complicatione *inflammatorio gastrica* proposita, non prius certe, quam inflammatione jam maxime infracta, praescribimus; nec salinum facile remedium, sed mannam emulsione arabica solutam, vel solam hanc emulsionem, cum *ricini* oleo paratam consulimus. Ipsum adeo, qui ad compescendum vomitum laudatur, *haustum antemeticum*, ob copiosum aerem, qui ab effervescente liquido evolvitur, non sine justis rationibus reformidamus; nec opio prius, quam abacta jam formidine inflammationis,

ubi reliquam ventriculi sensibilitatem corrigi, fidem adhibemus. Clystere porrectum hoc medicamentum, tutius hoc in casu operabitur.


Erysipelaceam gastritidem, nisi cum febre inflammatoria manifesta incedentem, venaesectiones exasperant, isque morbus remedia, principali, a qua vix non semper pendet, affectioni conducentia exposcit. Saepius hic vesicans epigastrio superimpositum, cucurbitulae siccae, sub dubia venaesectionis indicatione, cruentae, in auxilium trahenda sunt; ac si acris, saburralis materia ventriculum inflammare videatur; blandissima iterum, quae vix indicavimus, evacuantia, vel serum lactis tamarindinatum; — et, si vomitus haec ipsa excludat; clysteres ex nitro, tamarindorum pulpa in aqua solutis, vel interdum, sub majori jam a febre *nervosa* debilitate, cortex cum camphora ano infusus, conducent.

Suppurationem stomachi, nisi sola natura, medicus certe non sanat. Quotiescunque interim haec subesse videatur: sub parcissimis, iisque liquidis alimentis, potuque emolliente, abscessus in ventriculum, forte salutarem depletionem patienter expectamus.

Reliquum ab illo in ventriculo, quamplurimum lethale *ulcus*, praeter tenuissimum iterum victum ex ovi recentis vitello in jusculo carnis soluto similibusque quaerendum, vix alia, nec certe balsamica sic dicta remedia perferre observatur. Impraegnatæ ab aere fixo aquae, cum tenui lactis asinini portione, ac ipse peruvianus cortex clystere injectus tentari his sub angustiis queunt.



 O R D. I V. G E N. I V.

 ENTERITIS.
 

Natura morb. §. 238. **I**ntestina non minus, quam ventriculus, inflammationem, — rarius certe, quam iste, *phlegmonosam* (§. 231.); frequentius *erysipelatosam* (§. 232.), atque hanc ab aliis saepissime affectibus *symptomatice* pendentem, patiuntur.

Definitio. §. 239. Hic igitur morbus (§. 237.) *Enteritis* vocatur: cujus symptomata, ob ampliora, quae intestina occupant, spatia, ob incertam ac volubilem magis eorundem directionem, ac demum ob insignem canalis longitudinem, difficilius in unam, quae singula comprehendat, definitionem trahuntur. Interim, quotiescunque morbus (quod tam raro haud fieri, cadaverum sectiones docuere) *occultius* non incedit; tunc febris acuta, cum tensione ac dolore interno, vel ad unam,

rescant, tumeantque adeo, ut pars major cavi a phlegmone in illis praeccludatur; sed tamen singula erysipelaceae saltem inflammationis, et mortis ex eadem derivandae signa in cadaveribus illorum interdum occurrunt, de quibus, ne per insomnium quidem, inflammationem subesse medentes credidissent. Haec interim *silentis* magis naturae, quam istorum errore praetervidentur; sufficitque hanc artis humanae imperfectionem eo potissimum fine adnotasse: ne in tam fallaci morbo vel parvis quidem signis attentionem recusemus; ac ne ob plurimum symptomatum (§. 239.) defectum mox ad illum inflammationis praepostere concludamus,

242. Enteritidis causae cum illis gastrici Causae.
 tidis (§. 234) quamplurimum conveniunt. Ex ipso hinc inde ventriculo ad intestina phlogosis aut dilatatur ac descendit; aut illo relicto, haec ipsa aggreditur. Frigus vel abdomini, vel pedibus diutius admotum, spasmi violenti, quibuscunque a causis intestinalem tubum occupantes, acre biliosum, putridum, exanthematicum, saniosum, rheumaticum, venenosum, dysentericum, erysipelaceum, aliud, cathartica fortiora, seu drastica, in-

testinalem mucum deradentia; aloetica inprimis ac abortiva remedia, haemorrhoidum, lochiorum, menstruorum suppressio, volvulus, materies dura intestinorum tubum infarciens, vermes intestina laedentes, perforantes, vicini visceris, vel et mesenterii, peritonaei inflammatio, compressio quaevis subitanea, vis externa abdomini illata, herniae incarcerationatae, prolapsus intestinorum ex abdominali vulnere, etc.

Prognosis :

§. 243. *Enteritis erysipelacea* (§. 237.); tum illa, quae primaria est; tum illa inprimis, quae aliarum affectionum frequentissimam sobolem sistit, has ipsas funesto plerumque fine, ac in lethalem gangraenam praecipitat. Nec multo minora phlegmonosi morbi pericula erunt, si frequenti ejusdem per gangraenam fini, *suppurationis*, in quam nonnunquam terminatur, discrimina addamus. Utraque Enteritidis sibi ipsi commissa species brevissimo certe, ac saepe unius, vel paucorum dierum intervallo, interdum vero unius spatio hebdomadae, vel paulo tardius, in sphacelum mortemque convertitur; nec quisquam intestinorum gangraenam, nisi quandoque sub hernia incarcerationata, intestino cum integu.

cum urget: intestina ut plurimum laborant tenuia; eoque in casu citius, quam si crassa inflammata essent, assumpta per vomitum rejiciuntur. Ubi symptomata sub hypochondriis magis, sub pleuritidis quasi, aut hepatitidis specie, — vel ex uno illorum ad alterum, tensae fere cordae ad instar, ac sub ventriculo, hepate, liene, vel circa renes majora observantur; tunc intestinum vel coecum, vel colon inflammatione tenetur. Si ad lumbos profunde dolor haeret, et ad alvum crebrius desideat, nihilque, praeter mucum tenacem, dejiciat, aut cum tenesmo, urinae stillicidio, vel haemorrhoidalium vasorum inflationeprehendatur aegrotus; rectum tunc intestinum incenditur.

Quocunque vero in loco inflammatio intestinum circumdet; obturata tandem, vel ob summam irritationem contracta, aut ob herniam simul compressa ejusdem cavitate, assumpta quaevis, et, continuato diutius vomitu, ipsae adeo *fecales*, ac foetidissimae materiae, per hunc ipsum rejiciuntur; nasciturque *Ileus*, plurimarum certe causarum, rarissime *volvuli*, a quo hinc male nomen assumpsit, effectus magis, quam ipse morbus. Nec his quidem sub circumstantiis venter ubique

Ileus.

clausus est; sed interdum sub ipsa intestino-
rum inflammatione liquidam, vel et subcruen-
tam materiam deponit.

Cautelae:

§. 241. Atque hic quidem ordinarius morbi decursus observatur. Sed quantum non expertos licet viros haec signa, in aliis tam manifesta, interdum fallunt! Saepe nempe nec febris in pulsibus umbra (§. 238.); ardor, dolor ad intestina aut nullus, aut certe non vehemens; nec fere ulla tam diri morbi phaenomena observantur: cum vel ubique inflammatio, symptomata plerumque, intestina, vel ipsa jam gangraena tenet. Non quidem ubicunque post mortem vel livescebant, vel sanguine hinc inde suffusa apparere; in viventibus intestina affectu idcirco inflammatorio laborarunt; multisque in febribus tum inflammatoriis (§. 114.), tum gastricis (§. 104.), intestinalium vasorum sanguineus infarctus, vel ex ipso circulationis in partibus aliis impedimento; vel ex eorundem quasi dimidia, per infensam nervis putrilaginem inducta in intestinis paralyti derivandus est. Rarior quoque *Enteritis* est, in qua post mortem intestina, quod aliae partes inflammatae faciunt, conspicue cras-

vel ad omnes abdominis regiones extenso, ardente, pungente, acutissimo, per vices moderato; sed mox redeunte, ac ad summam atrocitatem adaucto, cum vomituritione ac vomitu, meteorismo, pertinaci ut plurimum alvi obstructione, ac interdum cum diarrhoea, et tenesmo, observantur.

§ 240. Incipit igitur *Enteritis* interdum Symptomate. cum horrore; alias, sine illo. Abdominis cruciatus, saepius certe circa umbilicum, quam altero quovis in loco, — in aliis, ad circumscriptam abdominis plagam, aut per totam ventris molem extensus, sat fixus, et saepe ardens, nunc aliquam aegrotanti quietem concedens, nunc vero immani tormine redeuns, hunc ipsum aggreditur. Hucusque pro ventris tormine aut colicae specie flatulentae hic dolor habetur: inprimis cum ructus inanes ac fere assidui, nec non alvi ut plurimum obstructio, et borborygmi copiose subintrent. Interim recrudescentem aeger ad intestina cruciatum praesentiens, vultu et oculis insoliti quid, et quasi terrefacti habentibus, ejulatu, ceu praesentem exhorret et aversatur. Sub majori ejusdem sensu, tum nausea, ac vomituritio, tum vomitus ipse,

quamplures invadunt. Pulsus interea humiles, frequentes, et debiles potius, ac qui, si bene attendamus, sibi dissimiles, vel et duri observentur. Lingua in multis admodum rubra est et arida, sitisque quamplurima vexat. Venter nunc manifeste satis tenditur, atque, constrictis spasmodice abdominis musculis, et durior redditur, et attactum fere quemvis, dolentissimus, recusat. Nec rarum est, vel ipsam spasmodice claudi anum; vel frequentem ad emittendum lotium persentiri stimulum, hocque ipsum cum dolore ac tenesmo excerni. Praeterea de aestu interno, viscerumque abdominalium ardore, anxius et inquietus conqueritur, siti quam plurima vexatus, viribusque jam plurimum prostratis decumbens aegrotus. Aucto in horas malo, fixior, constantior, ac intolerabilis magis dolor evadit; accedit singultus, vomitus increscit, atque quamplurimum aeruginosae ac herbaceae bilis ejicitur.

Quamvis vero integrum persaepe abdomen in Enteritide doleat, ardeatque; est tamen, ubi, saltem a primis hujus morbi initiis, ad affecti naturam intestini, sedemque mali distinctam concludere licet. Ubi dolor ad medium fere ventrem, ac circa umbili-

integumentis abdominalibus in *anum artificialem* concreto, — vel rarissimo *volvuli gangraenosi* per intestinum, sine continui solutione, excreti exemplo, superavit. Quae in *Enteritide*, maxime *dysenterica*, interdum partes membranaceae, ac intestinalem fere tubum referentes exuviae per anum secedunt: illae coagulatae, ac intestinorum formae adhaerentis lymphae opus polyposum sistunt.

Quamvis interim Enteritidis feliciter abactae historiae saepe colicam magis, ac spasmodicam hujus canalis affectionem, quam veram intestinorum inflammationem referre videantur; certum tamen est, hanc ipsam sub recta methodo non tam raro, aliarum adinstar, per *resolutionem* terminari: quae tum

Resolutio,

largo satis et aequali sudore, ac urina sedimentum puriforme, lateritium deponente; tum blanda diarrhoea vel puriformem iterum, vel subcruentam, biliosamque materiam excernente manifestatur. Crassorum intestinorum inflammatio, tenuiorum illâ forte minus timenda, per haemorrhoidum fluxum solvitur felicius. Saepius autem, quam quod de praegressa Enteritide constet, intestina in cadaveribus tum inter se ipsa, tum vero cum peritoneo morbose cohaerent (§. 219.);

ex quo patet, frequentiore, quam supponitur, utriusque superficiei phlogosin esse; nec ubique *resolutionem* cum perfecta laesarum partium integritate absolvi.

Suppuratio.

Suppurationis intestinalis signa cum illis aliarum (§. 128.) partium conveniunt; sed, nisi firmiori sub Enteritidis praegressae diagnosi, dubiis saepe non paucis subjecta est, atque in multis gratis admodum supposita fuit, intestinorum *exulceratio*. Quemadmodum vero ex suppuratis visceribus intestino vicinis, purulenta materies ad hoc ipsum sibi viam facillime parat (§§. 219. 226. 235.); sic et ab ipso intestinali abscessu, *pus* factum, nisi ad cavum intestini, abdominis, descenderit; in vicina illi viscera, vel per abscessum ad peritoneum, musculosque abdominales, umbilicum, facillime, prout de *colo* intestino novimus, depletur. In crassis frequentiore, quam in tenuibus intestinis, *suppurationem*, — in his vero gangraenae uberiores conspeximus progeniem. Copiosissime ad *Rectum*, tum abscessus tum fistulae contingunt; quae toties pro *haemorrhoidum* fluxu incautis diu imposuerunt. Tribus nos exemplis et *Colon*, et *Rectum* intestinum sub inflammatione cum vesica urinali in viris concrevisse, atque

suppurata, in hanc ipsam, purulentam non modo, sed et fecalem deposuisse materiam, observavimus. Sub his vero circumstantiis urinam nunc per septimanas nullam, — sed flatus foetidissimos atque copiosos per urethram prorupisse intelleximus; alio vero tempore lotium putridissimum, fecalem odorem spirans, turbidum crassumque per urethram iisdem aegrotantibus fluebat: qui, cum prius per tantum tempus ex urethra urinam non reddidissent; hanc ipsam, *urinali diarrhoea* laborantes, per anum copiose excreverunt, ac unus haemorrhagia ex pene, — alter, hydrope confectus, — tertius cum meteorismo, singuli vero ex forti simul intestini, vesicae sphacelo, perierunt.

Ex causis lentis, et infarctu vasorum ac Induratio; glandularum chronico magis, quam inflammatorio, scirrhi, tum alii (§§. 129. 235.), tum intestinorum, nasci videntur. Sed tamen, cum non infrequens ad *Rectum*, ex haemorrhoidali ut plurimum causa, observetur phlogosis; frequentior fere in hoc ipso, quam in alio quocunque intestino, *induratio* observatur: vidimusque talem, quae ex suppressa in foemina atque mox ad anum conversa blennorrhoea originem sumens, hoc in-

testinum ad extremam angustiam reduxit. Frequentius certe aliorum quoque intestinorum diversis in locis coarctatio, et quasi callositas, quam scirrhus in cadaveribus offertur; ac licet illa ex causis etiam non inflammatoriis generari hinc inde videatur; vix tamen dubitari potest, has intestinorum angustias ex praegressa in istis, saepe occulta, phlogosi originem frequenter habuisse. Oportet autem ut in angustiores diametrum contracto ac indurato fere alimentario tubo, semidigestorum descensui ciborum non parva obstacula ponantur; utque pars intestini contracto loco superior, tum ab illis, tum a flatu hic facile collectis, non raro in amplum saccum, plurimorum sedem malorum ac in frequentem praecipue vomitus, obstructae alvi, ac torminum originem dilatetur: quae incommoda, pro varia obstaculi positione ac magnitudine, diversos in aegrotantibus effectus habebunt, ac sub scirrhi generali expositione ulterius considerari merentur.

Enteritidis in *gangraenam* conversae symptomata tum ex praecipuis gangraenae signis (§. 130.) tum ex omnimoda torminum cessatione, ex meteorismo adaucto, singultu

continuo, sonoro, pulsu exili, debilissimo, intermittente, facie hippocratica, deliriis, stupore, extremitatibus frigidis, sudore glutinoso obductis, regurgitatione materiae biliosae, aut insipidae, vel et stercorosae; ex fecum liquidarum, ichorosarum, albescentium, olidissimarum secessu per alvum, anxietate maxima, et frequenti deliquio, repetuntur. Cum praesente intestinorum gangraena, mens redit interdum serena; ac de recuperata salute, qui post horas non multas cadaver erit, laetus sibi gratulatur.

Sed et in hac inflammationis specie, *hydrops ille acutus* (§. 126.), quemadmodum de *peritonitide* dictum est (§. 216.), cum socia frequentius, et post dies non multos insequente gangraena, observatur. Haec est inprimis *colicae* illius, *inflammatoriae* certe, species: ex qua Scriptores, pauci licet, hydrophem interdum oriri, quin ejusdem satis determinaverint naturam, dixerunt. Cum vero copiosum nonnunquam hic serum abdominis in cavo fluctuat: puriformis interim, et caseosa quasi, graviorque materia, vel in fundo pelvis detinetur; vel ipsis intestinis tenacissime adhaeret: quae, resorpto forsitan fre-

Hydrops
acutus.

quentius sero, morborum intestinorum cohaesionibus (§. 219.) non raram largitur originem.

Cura.

§. 244. Quas pro curanda gastritide proposuimus (§. 236.); illae non minus pro *Enteritide* tractanda valebunt regulae. Ac primum quidem de causis removendis cogitandum est. Hinc si hernia incarcerata subfuerit: intestinum strangulatum promptissime reponendum, aut herniotomia suscipienda est. Si venenum, aut drastica irritationem produxerint; illorum actio, si *specifico* praepedi-ri remedio non queat; oleosis et pinguibus tam ore, quam per intestinum ingerendis, infringatur oportet. Putridarum sordium, sub fine morbi, Enteritidem generantium copia et acredo, lenia sibi evacuantia ex sero lactis, tamarindo, cassia, manna, vel ex oleo, imprimis ricini, tum vero clysteres ex *pauco* chamomillae infuso, vel aqua cum oxymelle sibi exigit. Si a retrogresso vel exanthemate, vel acri rheumatico, alio, originem inflammatio petierit: praeter alia, vesicans, sinapismi ad partem prius infectam indicabuntur. Si haemorrhoidum, menstruorum, lochiorum suppressio, ac plethora abdominalis induxerint aegritudinem; praeter venae-

sectionem generalem, hirudinum applicatio ad anum perinaeum, pudenda, potissimum conveniet; etc.

Veram dein atque *idiopathicam Enteritidem*, licet pulsus, ob doloris, spasmiq̄ue universalis rationes, ut in *gastritide*, contracti, parvi, ac debiles, — licet virium prostratio non parva subesse appareant; quemadmodum in hac ipsa (§. 237.), donec arteriae insurgant, repetita venaesectione percurari oportet. Atqui his praestitis, majora iterum ex sanguisugis, prout fieri vix jussimus, applicitis, nec non ex cucurbitulis abdomini superimpositis, auxilia obtinentur. Huic ipsi interea, vel unguento altheae, vel oleo cum camphora liberaliter inuncto, fomentationes emollientes ex lacte cum sapone solerter imponimus; vel aegrotantem ipsum, nisi anxietas ac summa inquietudo id fieri prohibeant, tepido semicupio committimus, ac a quovis, post hoc, refrigerio custodimus. Clysteres oleosi, vel ex emulsione arabica, in pauca quantitate, nisi fortior in Recto intestino inflammatio eos vetet, et nunc injiciendi sunt. Infelici autem consilio, hoc in affectu, vel enemata ex acribus irritantibus, ex tartaro emetico, vel ex ipso adeo nicotia-

nae fumo applicantur; vel purgantia stimulantia, aut crudus mercurius praescribuntur; et rebellis alvi obstructio inflammationis vix unquam pro causa, sed pro effectu erit habenda.

Quod vero in aliis inflammationibus; — hoc et in *Enteritide*, inprimis *rheumatica*, a vesicante emplastro dolenti loco superimpositio interdum lucramur auxilium. Remedia interna ex emollientibus, mucilaginosi, tepide porrectis, petenda sunt; nec salibus mediis tantus hic, quam alibi, usus, nisi cautus, esse potest. *Opium*, quousque inflammatoria vigent symptomata, nequaquam in hoc morbo indicatur; jam fracto vero illorum impetu, sub iisdem, ac in *gastritide* (§. 237.), cautelis, interdum, et cum emulsione arabica porrectum, locum habebit. Simile de *camphorae* usu, si forte fractae per venaesctiones vires eandem exigere videantur, iudicium esto. Utrumque vero remedium, si indicetur; per superiora, ubi *crassa intestina* inflammatione laborare videntur; — in *tenuium* vero phlogosi, per anum, ingeratur oportet. Si per lenem, ac subcruentam interdum diarrhoeam hic morbus solvi videatur (§. 243.); tunc serum lactis tamarindinatum, aut mannae in emulsione arabi-


ca solutio , eandem cum fructu promovebunt .

Suppuratio intestinorum , cum alio tamen eorundem affectu facile confundi solita (§. 243.) , iisdem , quam quae in *gastritide* proposita sunt (§. 237.) , remediis traetanda , rarissimam tamen , si ullam , melam admittet . Abscessus ac fistulae ad *Rectum* intestinum , si exterius magis , ac quo loco manibus accessus datur , compareant : a Chirurgia non raro auxilium agnoscunt .

Indurationes intestinorum , tum illae quae ex chronico affectu , tum quae ex inflammatione oriuntur , difficilis admodum diagnosis , sed curationis longe difficilioris , vixque istius capacem morbum sistunt . Angustissimum interim ex praevia inflammatione *Rectum* intestinum , cum ad ani tantummodo confinia diuturna coarctatio haereret , frequenti clysterum pinguiorum , ac pessariorum ex *butyro cacao* paratorum usu , nec non candellis huic intestino , ut in urethrae morbis facimus , per longum tempus immissis , feliciter dilatavimus .


Qui ex *Enteritide* convaluere ; illis selectus ciborum cautissimus imponatur necesse est ; atque tum acria , tum flatulenta , ma-

xime vero duriora alimenta, vix devictum revocare morbum facillime possunt. Similia de remediis spirituosis, aromaticis, adstringentibus incaute subministratis dicenda sunt. Conveniunt interdum aquae martiales, infusum chinae frigidum, et quaecunque sensiliorum intestinorum tubum sine stimulo majori ad pristinas revocare functiones queant.



O R D. I V. G E N. V.

HEPATITIS.



§. 245. **F**requentior chronicorum, quam acutorum hepar sedes morborum est. Natura morbi Inter hos ipsos, licet multiplices esse non sine ratione aliqua suspicemur, solum fere, quem cognoscamus, *hepatitis*, seu *jecinoris inflammatio* constituit. Haec frequentius iterum *symptomata*, et *erysipelaceae* saepius naturae, quam *idiopathica* et *phlegmonosa* observatur, hepatisque nunc superficiem *externam*, eamque vel *convexam*, vel *concaavam*; nunc vero *internam* hujus visceris substantiam occupat. Non tamen eodem haec ubique se modo habent; sed frequentiore alio sub coelo ac *endemicum* apud *Indos occidentales* hepatitis morbum offert: atque si rarior apud nostros affectio dicatur; oportet de ea, quae *epidemica* interdum occurrit, ac de illa, quae suis se manifestam reddit signis, sermonem esse: cum non tam infrequens *abscessuum hepaticorum* ratio, occul-

tam saepe, et *chronicam* hujus morbi naturam esse abunde demonstrat. Post *pulmones*, ac *cerebrum*, nullum fere viscus est, quod *haereditatio* magis, quam hepar, jure aegrotet; novimusque familias, quibus non chronicis modo; sed inflammatoriis adeo affectibus, singulari protinus dispositione, hepar frequentius laboraret.

Definitio;

§. 246. Ex tam diversa inflammationis sede ac natura (§. 245.) apparet satis, *hepatitidis* symptomata non facile tam angustis definitionis circumscribi posse cancellis; atque tum ipsius vel maximi visceris moles, positio, extensio, cuivis fere aetati alia, — tum varia in parte vel hac, vel illa, ejusdem sensibilitas, sat clare docent: eundem, vel eodem in organo, morbum, phaenomena inter se penitus diversa producere oportere. Quotiescunque interim acutarum more, nec occulte hepatitis incedit; tunc febris, hypochondrii tensi, humeri, claviculae in dextro latere dolor, decubitus nunc in hoc, nunc illud in latus difficilis, cum dispnoea, tussi sicca, singultu, ac saepe cum nausea et vomitu, observantur.

§. 247. Coeterarum inflammationum ad- Symptomata.
instar, *hepatitis* cum horrore, interdum sat magno et diuturno, invadit. Hunc magnus in praecordiis aestus, et calor universalis cum intensa siti mox excipit. Si ad convexam inflammatio partem hepar occupet; dolor acutior, lancinans, et pungens, quasi pleuriticus, illinc persentitur, ac difficilis in dextrum latus utplurimum decubitus observatur. Si concavam hepatis regionem vexaverit phlogosis: tunc in sinistram partem aegrius convertitur patiens, ac plura circa stomachum incommoda, nausea, vomitus bilis aeruginosae, epigastrii tensio, nec raro icterus, et frequentior, subinde strangulans aegrotum singultus comparent. Nec rarum hoc in casu est, ex hepate phlogosin ad ventriculum transire. Hypochondrii dextri *tumor*, non nisi sub majori inflammati visceris volumine, aut sede morbi a costis vix obtectata, aut denique jecinore per manum ex sede sua quidquam expulso, conspicuus redditur; sed tensio vix non semper major, ac dolor attatum recusans hunc locum denotat. Minor interim hic erit sensus, cum partem jecinoris posticam et superiorem, sub diaphragmatis fornice sepultam; — aut inferiorem et dor-

salem, costarum sub arcu profunde latentem inflammatio tenuerit: quo in casu vel singultus iterum frequentior, dispnoea ac tussis major, cum doloris sub inspiratione augmento, — vel lumborum, et dextri quasi renis cruciatus praecipue urgent. Ex vicino diaphragmati hepate, inflammatio istius facile per illud ad pulmonem dextrum, — vel inflammato hoc pulmone, quod pluries conspeximus, ad jecur transfertur. In ipsius quidem substantiae hepaticae phlegmone dolor ut plurimum obtusus, aut gravativus occurrit; sed acutissimum certe ac lancinantem, ex abscessu in medio jecinoris parenchymate latente, dolorem observavimus. Pro vario etiam inflammati hepatis incremento, *pondus* hujus visceris non parum mutatur, et ad duplum interdum aucta ejusdem moles, tum compressione sua in vicinum ventriculum, duodenum intestinum, pectus ipsum, — tum diaphragmate sub expiratione in ascensu suo impedito, nunc angustiae, plenitudinis ac suffocationis, nunc appensi quasi diaphragmati ac sterno ponderis gravioris, distendentis, sensum producit. Si, quod junioribus proprium, sed neque apud adultos tam rarum est, hepar, ad sinistrum hypochondrium ad

lienem usque extensum, inflammetur: tunc dolor, tensio, vel et tumor, tactusque impatientia ad epigastrii magis regionem observatur, ac majores tum ad ventriculum, tum ad diaphragma turbae occurrunt. Non in quavis hepatitis aut singultus, aut humeri, claviculae, jugulique dolor occurrunt; nec iste ad dextra perpetuo, sed interdum etiam, licet rarius, ad sinistra percipitur; et ad brachium, praecipue dextrum, subinde torpor accusatur: quae singula symptomata ex diversa inflammationis in hepate sede, ac demum ex nervorum diaphragmatici, sympathici magni, brachialium, ex cervicali medulla origine, decursu ac distributione potissimum derivanda sunt. Ipsam *fellis vesiculam* phlegmonosa inflammatione, eaque insigni, alibique fusius describenda, correptam, et ejusdem membranas ad pollicem crassitiae auctas, albissimas atque splendentes observavimus: quo in casu, nisi hepatis pars major simul laboret; inflammationis symptomata ad costarum spuriarum hepatisque limbum, ad non magnam latitudinem circumscribuntur. Tussis in hepatitis frequentius occurrens, ut plurimum sicca, rarius humida, vel a diaphragmatis irritatione, vel ex nervorum consensu originem petit.

Alvus hoc in morbo saepius obstructa, interdum, et sub ictero praesente, alba, aliquando vero, ex copiosiori ab inflammato viscere secreta, et acriori bile, liquida, aut subcruenta, nec sine tormine deponitur. Urina, nisi icterus compareat, non alia, quam in quacunque acuta, excernitur flammea. Interea febris, nisi violenter jecur inflammari contingat, non admodum vehemens; vel noctu saltem, aut alternis fere diebus increscit. Pulsus nunc utique durus ac frequens; sed cum dolor non nisi obtusus accusetur; nequaquam talis, et a naturali parum alienus observatur.

Hep. chronic. Obscuriora sunt *hepatitidis chronicae* symptomata, et plerumque aut certam vix diagnosis admittunt; aut, ab ipsis adeo aegrotantibus vilipensa, a medentibus praetervidentur. Continua interim febricula cum ardoris, doloris, tensionis, plenitudinis ad hepar sensu, ad attactum aucto; cum decubitu, ob haec ipsa, in latus vel hoc, vel illud difficili; frequens ad scapulam dolor, nariumque stillicidium, aut haemorrhoids; causarum denique praegressarum attenta consideratio, aliquam hic lucem accendere queunt,

Causae.

§. 248. Praeter communes inflammatio-
num

num causas (§§. 118. 125.), capitis inprimis laesiones externae, tum in aliis visceribus, tum in hepate inprimis inflammationem, citosque abscessus inducunt. Huc et injuriae abdomini illatae, utpote ex lapsu, contusione, vulnere, nixu, saltu ex alto, spectant. Nec minus valida mentis pathemata, inprimis furor, cum superingesto potu frigido, — aut exaestuantis corporis super humo, aut, in balneo, refrigeratio major, jecinori infesta sunt. Alias vero calculi, tum hepatici, tum cystici hepatitidem inducunt, atque nos ipsi hac ex causa vesiculae felleae non modo inflammationem (§. 247.), sed et gangraenam ex hac ipsa per hepar late extensam observavimus. Nec *ascaridis lumbricoidis*, ex intestinis ad hepar devecti, aut *fasciolarum*, in animantibus variis, hoc in viscere detectarum exempla copiosa, irritationis perpetuae, ac inflammationis aliquando causae, deficiunt. Quae vero intestina, ventriculum, diaphragma, pulmones, inflammare; — haec et ipsum hepar vicinum incendere queunt. Frequentior inflammationis *erysipelaceae* in hepate, corrupta et acris primarum viarum, ac suppressae salutaris diarrhoeae materia, origo est. Coeterum et repentinae

rheumaticae, scabiosae, erysipelaceae, metastaticae, alterius acrioris materiae retropulsiones huc erunt revocandae. Ex majori aestatis calore, ac frequentiori bilis sub hoc ipso ad hepar corruptione, hunc morbum derivare, nobis saltem, qui eundem non magis saltem in *Italia*, quam in *Germania* praedominari aut ipsi observavimus, aut ab aliis observari pernoscimus, non licet. An calor major hepatitisem *Indiae Orientalis* endemicam, an vero frequentior, hoc sub coelo, transpirationis suppressio ac potius, prout suspicamur, refrigerium, aut alia demum obscurior causa producat, ignoramus.

Prognosis.

§. 249. Communes hepatitis cum aliis inflammationibus exitus (§. 126.) agnoscit, ac pericula a causarum febrisque diversae rationibus et intensitate non minus, quam a subjecti aut cachexia aliisque jam pridem hujus visceris morbis, obstructione, induratione, scirrho, steatomate correpti, aut sanioris, constitutione petenda sunt. In genere, hepatitis sat cito cognita, sub recta medendi methodo, tam insignia saepe non habet pericula; nec singultus hic tanto, quam in aliis morbis, discrimine incedit. *Acuta* quidem

hepatitis pericula minora, quam *chronica*, qualem ad plures menses, cum sat intensa febre ac dolore praemagno continuasse vidimus, portendit: et causas ut plurimum ex calculo, steatomate, aut alio hepatis antiquo vitio desumit. Periculosissima *hepatitis erysipelacea* est, quae sub *gastricarum, nervosarumque* fine gangraenam minatur. In hepatitide phlegmonosa *convexam* jecinoris partem occupante, difficilior, quam in *concauae* superficiei phlogosi, per intestina morbi solutio, purisque facti depletio: ac tum ex hac ratione, tum quod major ut plurimum febris ac dolor comitetur illam, majora observantur pericula.

Per *resolutionem* (§. 127.) terminatur Resolutio.
 hepatitis vel prima vel secunda ad finem vergente hebdomada, tum per haemorrhagiam ex naribus, aut per anum, tum per alvum biliosam, aut subcruentam; tum denique per sudorem largum, urinas copioso sedimento instructas, ac interdum per comparens ad exteriora erysipelas. Si pulmo insimul cum hepate laboraverit; tunc et copiosior subinde expectoratio morbi solutionem comitabitur. Si hepatitis in dolentem *splenis* affectionem transiverit: vidimus hoc, quod a veteribus

jam notatum fuit, cum bonis aegrotantium rebus contigisse. Acutissima febris, ac sitis inexplebilis, gravitatem morbi, ex erysipelate tunc facile oriundi, demonstrant. In quavis vero hepatitide, cum peritoneo ac visceribus vicinis jecur facillime per pseudomembranas connectitur: quo suppurationis nonnunquam, ob faciliorem puris educationem, imminuuntur pericula; sed novae puri ad vicinas partes viae non raro parantur.

Suppuratio. Conspicuis ac magnis ad hepar tumor inflammatorius difficulter *resolvitur*; ac frequentius per *suppurationem* terminatur. Haec ipsa, per signa sua cognoscenda (§. 128.), nonnunquam in hepate citius, quam quocunque in viscere, saepiusque *occulta*, perficitur; atque vel ad convexam, vel ad concavam hepatis partem, vel in medio ejusdem parenchymate, cum vario rerum exitu, nascitur abscessus. Hoc sibi commissum jecinoris apostema, pro varia ejusdem sede, vel magnam, aut totam visceris substantiam tractu temporis depascitur, oriturque *tabes hepatica*; vel rumpitur vomica, et purulenta materies aut in cavum abdominis lethali eventu depletur; aut in vicinum jecinori viscus, aut partem cum hepate connexam, — in ventriculum,

prout vidimus, aut intestinum, praecipue colon; aut per erosum, ut aliquoties conspeximus, diaphragma (§. 186.) in ipsum pectoris cavum, et concretum aliquando cum diaphragmate pulmonem; rarius, si illuc usque hepar inflammatum pertingat, in lienem ipsum; aut denique in peritoneum musculos abdominales, lumbales obtegens, prorumpit, atque nova, propria cuivis parti, symptomata producit atque abscessus ac fistulas, per longum latumque divagantes (§. 220.) generare observatur. Interdum vero contenta in hepate materies per ipsos ductus hepaticos viam sibi aperit, atque copiosa in duodenum intestinum ex choledocho canali destillat, oriturque aut vomitus purulentus, aut quamplurimum diarrhoea saniosa, subcruenta: qua nunc hepatis abscessus per ipsam naturam detergitur atque sanatur; nunc vero *fluxus*, cui nomen est *hepaticus*, diuturno ac lethali successu insequitur. Cum vero hepar inflammatum ad plura abdominis loca sub costis promineat, atque sic ejusdem abscessus, cum peritoneo facile cohaerens, ad exteriora nonnunquam divergat; chirurgicis tunc auxiliis, ac, si matura satis suscipiatur, sanationi non tam raro conceditur occasio. Rarior hepati-

tidis in *hydropem acutum* est exitus: sub quo absque ullo puris indicio, externam hujus visceris membranam inter et parenchyma hepatis, aquarum collectio detegitur. An frequentior apud oves jecinoris hydrops ex inflammatione repetendus?

Induratio.

Scirrhus hepatis frequentes ex rariori apud nos hepatitide derivare vix possumus. Frequentius quoque durum atque contractum hoc viscus, sine praegressa inflammatione detegitur. Durities interim dextri hypochondrii, vel tumor, sensus ponderis sub expirando auctus, dispnoea a decubitu in dextrum latus, et ad partem aucta, digestio depravata, et pertinax alvi obstructio, cachecticus faciei color, oedema pedis dextri, post praegressam hepatitidem, cessante febre, observata, morbosam jecinoris indurationem, quae certe non ubique cum *tumore* incedit, sat clare manifestant.

Gangraenam in jecinore contigisse, signa alibi exposita (§. 130.) abunde docent.

Cura.

§. 250. Generales curandae inflammationis regulae (§. 133.), non minus in hepatitide adhibendae sunt. Venaesectio igitur, licet pulsuum ratio id minus exigere videatur,

instituenda, ac pro morbi violentia repetenda est. Inprimis vero sanguisugarum ad hæmorrhoidalia vasa, et ad ipsam hepatis regionem, nec minus cucurbitularum scarificatarum eidem regioni aliquoties instituta applicatio potissimam laudem meretur. Nec minor vesicantis emplastri, post factas vasorum depletiones, dolenti loco admoti, unguenti volatilis, nec non fomentationum emollientium abdomini universo applicatarum, ac clysterum denique emollientium frequentius injectorum virtus esse consuevit. Maxime vero in hac inflammationis specie lenia alvum laxantia, ex tamarindis, cremore tartari, manna, in sero lactis solutis, tinctura rhabarbari aquosa, petita remedia, tum depositam ad intestina copiosam et acriorem bilem prompte expellunt; tum ipsam morbi solutionem per choledochum ductum sollicitant; atque majorem, quam in quavis fere alia inflammatione, opem conciliant. Interea potus non quidem copiosi, aut frigidiores; ex sero lactis, aut aqua cum oxymelle et nitro, frequentius ingerendi sunt. Si per sudorem terminari morbus videatur; tunc haustus salinus, cum refracta tartari emetici dosi, atque sambuci infusum cum oxymelle indicabitur.

Aliam in hepatitide methodum felicissima *Indiae Orientalis*, in endemico sibi morbo, experientia confirmat: ubi *mercurii* tum interne, tum exterius adhibiti usus, non minus quam apud Europaeos, singulari se se effectui commendavit, ac vix evitandam alias in hepate suppurationem dissipasse est visus. Nos quidem has laudes, dubiis interim nequaquam subjectas, propriis augere observationibus nequimus; et, ob tardiorem forsitan *mercurii*, in aegrotantibus, nobis, inveterascente jam morbo, oblatis administrationem; tam felici effectui in paucis casibus; ubi communis methodus non suffecerat, fuimus frustrati. Qui vero hanc methodum frequentiori usu comprobata habent; illi, paucis quidem sanguine e vena emisso, ac sub continuata antiphlogisticorum administratione; unguentum mercuriale ipsi dolenti mox loco illiniunt, atque simul calomelam interius ita porrigunt: ut sat brevi tempore, quo dolor ut plurimum dispareat, salivatio excitetur. Sed jam secundo, vel tertio die unguentum non dextro amplius, — cui vesicans nunc emplastrum imponunt; sed sinistro hypochondrio illinire suaverunt. Cum vero ex tam praecipiti mercurialium usu in debilioribus

aut nimia salivatio, aut diarrhoea interdum accedat; cumque praesente simul febre *gastrico-nervosa*, majora ex mercurio damna sint; hinc alii peruvianum cum isto corticem utiliter combinari, — alii salivationem his in subjectis evitandam, atque vel ad refractas mercurii sublimati doses, vel ad solum calomelam cum cortice, confugiendum esse, docuerunt.

Hepatitis chronica, eandem ac acuta, sed accommodatam mali violentiae minori, atque morhi causis methodum, scarificationes locales, hirudines, vesicantia, rubefacientium modo adhibenda, frequentem evacuantium anti-phlogisticorum usum, potus subacidos, cum nitri portione, vel ex sero, aut lacte ebutytrato, clysteres, victum vegetabilem ex fructibus horeis maturis, ac interdum leves mercurii dulcis doses, aut denique aquas martiales sibi exigit.

Abscessus hepatis, si chirurgicam admittere manum videantur; si, ex minori tumoris mobilitate, ad eorundem cum peritoneo, necessariam pro hac operatione, cohaesionem concludere queamus; promptissime, ac priusquam major jecinoris consumptio locum habeat, aperiendi sunt. Cavendum est, ne felleae vesiculae

dilatationem incauti pro abscessu declaremus, et lethali certe eventu aperiemus. Intestinum colon, cum ad lobi hepatis dextri limbum inferiorem abscessus haesisset, a Chirurgo, profundam nimis sectionem instituyente, incisione non parva laesum fuisse in cadavere conspeximus. Apertus vero hepatis abscessus, ad artis Chirurgicae leges, imprimis recta corporis positione, ac injectionibus repurgandus, et solícite, sub frequenti corticis peruviani usu, consolidandus est.

Quae in scirrho ac induratione hepatis facienda supersint; ex aliis patebunt.



 O R D. I V. G E N. V I.

 S P L E N I T I S.
 

§. 251. **I**ncomprehensum Physiologis viscus, Lienis natura
 non minoribus, cum aegrotat, involvitur te-
 nebris, *Lien*. Hujus quidem positio, exten-
 sio, nexus, ac singularis inter diaphragma,
 ventriculum, coloni intestinum, costarum ar-
 cus, renemque altiorem, peritoneo licet di-
 visum, occultatio, — nec minus hypotheses,
 quas hac de particula sibi scholae permise-
 rant, fecere: ut non modo varia illarum par-
 tium mala; sed et mentis ipsius aberrationes
 varias, et morbos fere omnes, quos ab *atra*
 quondam *bile* derivavit antiquitas, in inson-
 tem mox *splenem* rejicerent. Variis interim
 et hoc spongiosum viscus affectibus exponi-
 tur, atque nunc periodico quasi fluxu ac re-
 fluxu, aliorum fere morborum imperio, tur-
 get et subsidet; nunc volumine, quod apud

Insubros endemicum est, sine manifesto substantiae infarctu, insigniter augetur, ac saepe prolabitur; nunc duriores ac callosas, aliquando fere saxeam, aut osseam quasi compagem, vel tumentem, vel in minus volumen contractam assumit; nunc vero, quod rarius contigisse, tum aliis, tum nobis ipsis perspectum est, *inflammatur*.

Symptomata:

§. 252. Haec lienis inflammatio, *splenitis* vocata, cum hepatitide (§§. 245. 247.) quamplurimum convenit, ac iisdem fere signis, sub hypochondrio sinistro urgentibus, cognoscitur. Occurrunt vero hic febris cum horrore frequenter invadens, calor continuus, interdum remittens; sitis magna, et anxietas; dolor sub hypochondrio, ab actu, et sub inspiratione auctus, ad humerum, mammam et claviculam facile extensus, nunc acutissimus, nunc obtusus, costarum spuriarum limbum plerumque excedens; dispnoea; aliquando, superiori nempe lienis parte diaphragma simul inflammante, irritante, tussis ac singultus; decubitus in *sinistrum*, — aut interdum, ex aucta visceris vicino stomacho incumbentis gravitate, ac inflammatione huic ipsi communicata, in *dextrum*

latus molestus, nausea continua, vomituritio, aut vomitus copiosus, biliosus, subcruentus; alias vero, et inflammata lienis parte inferiore, quasi renis sinistri dolor; obstructio alvi pertinax, et aliquando tumor sat manifestus, lienis, inconstantem licet, formam retinens, ac ponderosus.

§. 253. Causae vix non eadem, ac quas Causae: gastritidem (§. 235.) enteritidem (§. 242.) ac hepatis inflammationem (§. 248.) inducere diximus, *splenitidem*, licet raro satis, progenerant. Ipsius hepatis, ventriculi, diaphragmatis, pancreatis, coli intestini, ac peritonaei inflammationes, ad splenem subinde divergunt, mirumque esse dicamus, interceptum toties cruoris ex liene ad hepar fluxum, ac tam frequentem sanguinis in illo remoram, inflammationem non saepius in splene excitare.

§. 254. Splenitis fere eosdem cum hepaticide (§. 249.) exitus, eademque pericula Prognosis. agnoscit. Vidimus eandem cum urinarum copiosissimo fluxu, et cum facta in oculos metastasi feliciter solutam. Universi corporis Resolutio: sudor, atque haemorrhoidum fluxus meliorem

morbi dissipationem promittit. Vomitura cruentum, et atrum, hoc in morbo criticum non observavimus.

Suppuratio. *Suppuratio* lienis per signa (§. 128.) cognoscenda, eodem fere, ac in hepatitis (§. 249.) modo succedit, ac purulenta materies nunc viscus totum exedit; nunc ad stomachum, cum vomitu purulento, sanguineo; nunc ad colon intestinum, cum diarrhoea ac *fluxu splenico*; nunc ad pectus, pulmonemque ipsum, cum phthiseos purulentae signis, aut in cavum abdominis depletur; vel adhaerente peritoneo liene, hoc ipso corrosio, ad musculos abdominales, dorsales, lumbales, ad renem ipsum sibi vias parat; ac, nisi cito consolidetur abscessus, cum *tabe splenica* terminatur.

Induratio. De lienis ex inflammationibus *induratione*, ac *scirrho*, vix non omnia, quae de simili hepatis affectu dicta sunt (§. 249.), merentur referri.


Cura. §. 255. Nec aliam sibi splenitis medendi methodum, quam quae pro hepatitis exposita fuit (§. 250.), sibi expostulat.





ORD. IV. GEN. VII.

NEPHRITIS.



§. 256. **Q**UI accerrimum humani corporis liquorem secernunt, et non exiguo vasorum a corde non adeo distantium systemate instructi sunt, *renes*: hi, si calculorum in eodem effectus excipiantur; rarius forte, quam ipse *lien* (§. 251.), *inflammatione* corripuntur. Vix igitur, ex propria experientia, aut *senioribus* hunc morbum, aut *viris*, quam *junioribus*, aut *foeminis* frequentiore esse, sub data exceptione, confirmare audemus. Insignes quidem in renum regione dolores, inflammatoriis signis non immunes, aetatem, sexum quemcunque non raro divexant; sed vel rheumatica musculorum lumbalium, ligamentorum intervertebraliū affectio; vel ipsius medullae spinalis inflammatio (§. 141.); vel coli nonnunquam intestini prope

Infrequentia morbi.

renes decurrentis incendium (§. 240.); vel demum violentior ac diuturnus his in partibus spasmus, pro istorum inflammatione non raro imposuit. Quodsi vero hic diagnosis error, *renalis inflammationis* non parum demat frequentiae; ejusdem tamen aliquid *occultae* hoc in viscere *suppurationis* restituunt historiae: ut non difficilis haec utriusque erroris occasio, doctrinae hoc de morbo dignitatem abunde testetur.

Definitio.

§. 257. *Renis* igitur *inflammatio*, vel *Nephritis* est affectio ut plurimum febrilis, cum dolore hujus partis nunc ardente, acuto, nunc obtuso, pulsante, versus vesicam oblique descendente; cum lotii nunc spastici, nunc rubicundi, nunc puriformis excretionis frequentis, saepe pauca; aut secretionis urinalis totali ad *renes* suppressione; ut plurimum cum nausea, vomitione, vomitu, aut colico cruciatu; saepe cum cruris stupore, ac testiculi dolore vel retractione incedens.

Symptomata.

§. 258. Rarius *ren* uterque primum, frequentius dextro, sinister, ac loco quidem hic ultimus quidquam altiori ac posteriori, inflammatur. Nunc vero febris hanc affectio-

nem

nem praecedit; nunc sequitur dolorem profundum, ardentem, pulsatilem in parte suprema et postica abdominis, fere ad ultimae dorsi vertebrae, et quatuor priorum lumbalium confinia, ante duas postremas ex costis spuris, ad trium circiter digitorum transversorum distantiam a spina. Ab initio quidem hic dolor obtusus magis, ac tendens, premensque, — dein vero, ardens, acutus ac lancinans, saepe per uretherum decursum, usque ad vesicam, aut per vasa spermatica per inguen in testem, tunc facile retractum, jaculari visus, observatur. Tum ipsius vero testiculi dolor ac retractio, tum cruris stupor, aut spasmus et tensio, in alia vix, quam quae per calculos inducitur, inflammatione occurrunt. Sub hac vero renis affectione mox frequens lotii deponendi stimulus a pauca licet, eaque vel flammea, aut profunde rubra, vel sanguine soluto mista, vel puriformi, vel, majori sub malo, decolori et prorsus aquosa urina excitatur. Sub maximo morbi augmento, ac si ren uterque inflammatione turgeat, haec *dysuria renalis* convertitur in totalem secretionis urinalis abolitionem; et quodcumque per has vias expellendum fuisset lixivium; hoc a sanguine separari prae-

peditur. Atqui tum ex hoc ipso, tum ex cognito nervorum, qui renem adeunt, cum illis stomachi, intestinorum nexu, nascuntur mox ructus copiosi, nausea, vomituritio, vomitus, flatuum copia, anxietas, doloresque colici, aut ad anum tenesmus, obstructio, ac dimidii fere ventris ex parte affecta, vel totius abdominis intumescencia. Si vero ad pelvim renalem a calculosa materia irritatio fiat; ob eundem nervorum nexum, dolor, retractio testiculi; aut, compressis a tumente rene nervis tum *psoam* musculum, tum crus ipsum petentibus, istius stupor, torpor, dolensque spasmus, aut oedema, inducitur. Interea lumbi calent, ab attactu vel et a solo lecti calore acutius dolent; neque pedibus aegrotans incedere potest; ac decubitus in aliam partem, quam in dorsum, per augmentum doloris in latus affectum, et per intolerabilem in adversam partem aut in ventrem procumbenti sensum, praepeditur. Licet vero insignes, ut in *lumbagine*, dolores lumbos divexent; aegrotus tamen antrorsum flexus, sine dolore notabili truncum erigere ut plurimum potest. Nec coetera hoc in morbo febris acutae signa desunt; et cum intensior inflammatio urget: tam universi corporis

horror, quam anxietas, praecordiorum constrictio, et convulsio, extremitatum frigus, sudor viscidus, delirium, lipothymiae aegrotantem affligunt. Pulsus hoc in affectu ab initio plenus, ac vibrans observatur; crescentibus vero dolore ac spasmis, contrahitur et exilis, durus, ac intermittens comparet: quin ex tam diversa pulsus ac doloris ratione, inflammationis ad sedem vel in pelvi, vel in substantia renis, concludere tuto valeamus.

§. 259. Aliarum inflammationum adin- Divisio:
star, *Nephritis* nunc *phlegmonosam* habere naturam, nunc *erysipelaceam* agnoscere indolem videtur. Ab *epidemico* influxu, nisi rheumatico, sat liberi renes observantur; febrisque hanc inflammationem concomitans, vix alium, quam inflammatorium assumere characterem consuevit. Interim vel *primaria* hoc viscus; — vel, frequentius certe, *secundaria*, et a *calculis* renalibus, aut ab arenosa materia pendente inflammatione laborat. De *occulta* interdum *Nephritide* jam injecta est mentio (§. 256.), atque haec ipsa ad *chronicas* saepius pertinere, et cum lumborum, colicisque doloribus confundi videtur.

Causae :

§. 260. Plures certe, quam quae rariorem *Nephritidem* revera inducunt, a Medicis numerantur causae. Potissimae interim existis sunt tum illae, quae et aliarum partium inflammationes inducunt (§. 125.): imprimis lapsus, ictus in regionem lumbalem, concussio, contusio violentior, vulnus; forsitan et vehemens ac in longum continuata equitatio, validior nixus incurvato trunco ad grave pondus elevandum susceptus, refrigeratio dorsi, lumborum sudore praegresso madentium, acre rheumaticum, arthriticum, metasticum, — tum illae, quae in renem potentius agunt: uti spasmus diuturnus, cantharides, meloe majalis, balsamorum variorum interius adhibitorum abusus; vicini peritonaei, lienis, hepatis, aut coli intestini inflammatio, abscessus, vertebrae caries, costae vicinioris fractura; imprimis vero calculorum hispidorum, acutorum, asperorum, aut mole irritantium in rene, urethere collectio, accedente, sub aliqua plethora, rudiori corporis concussionem; forsitan et urinae ad vesicam diuturna retentio.

Prognosis :

§. 261. Quae maturo satis consilio tractatur *Nephritis* primaria; ea, nisi insigni mox impetu ren unus, aut, quod facile ob

consensum accidit, uterque sat valide obruat-
 tur; prognosin tam funestam vix admittit. Resolutio 1
 Quae vero ex *calculis* originem nanciscitur:
 ea vel nunquam, vel non sine funestae reci-
 divae curatur periculo. Aquosae mictiones
 et purae, ac pellucentes, aegre morbum se-
 cerni indicant; quibus vero, sub cedente fe-
 bris impetu, sine inceptae jam suppurationis
 signis, urinae prodeunt multae, et crassae,
 potum quasi *coffeanum* dilutiorem referentes;
 aut lactescentes, cum sedimento puriformi,
 mox fundum petente, copioso; illis per ipsas,
 quibus morbus residet, vias judicatio con-
 tingit. Sat largus haemorrhoidum fluxus, aut
 sudor aequalis, copiosus, et calidus oppor-
 tuno tempore prorumpens, non minora hic
 spondent auxilia.

Facilis quidem hoc in morbo, vel non Suppuratio 2
 advertente aegroto, in *suppurationem* est transi-
 tus. Hanc tamen, post nephritidem manife-
 stam, ex signis (§. 128.) cognoscimus: dum-
 modo, nec ob solum in urinis, copiosum
 licet, ac puri simillimum foetidumque sedi-
 mentum ad illam praepostere concludamus;
 nec ob hujus absentiam materiae, renis exul-
 cerationem pro certo deesse affirmemus. Pus
 quidem ad hoc viscus collectum, facilius,

quam ex alio, tum pondere proprio per urethres delabitur; tum urinarum flumine, vix genitum, abluitur: quo fit, ut per annos interdum sine febris hecticae a resorpto pure valdopere incensae symptomatis, hic fluxus continuet. Sed aliarum saepe partium *puriformem* renes ex longinquo suscipiant, expelluntque materiam; vel ipsimet *chronica* interdum laborare *phlogosi* ac, sine exulceratione, *puriformem* humorem (§§. 128. 259.), quod in vesica urinali frequenter contingit (§. 265.), secernere observantur; vel demum *puriformis* ille liquor, aut *pus* ipsum, ex uretheribus, vesica, aut prostata glandula scaturivit; ac, urinis commixtum, praegressos forte lumborum dolores, inductae ad renem suppurationis, nec intimiori albescentis materiae cum lotio miscela, nec majori illius visciditate comprobandae, injuste accusat. Veras autem hujus visceris vomicas, sine puris in urina vestigio, ex pathologicarum constat sectionum historia. Casus adeo nobis obvenit, in quo, licet *ren* utique *suppuratus* fuisset; fuerunt tamen et ipsa *vesica*, et *prostata* non exiguo ulcere, scirrhisque obessa. Atqui cum nulla *Nephritidis* praevisissent symptomata: de solo vesicae morbo,

per rectum non minus intestinum quam per urethram explorato; — de renis vero suppuratione nequaquam cogitavimus. Interim pus ipsum acrius, ex rene in vesicam destillans, hanc ipsam irritare, ad spasmodicas contractiones invitare, morbique hic loci primariam sedem mentiri, — aut, quod observatione constat, in solidiorem massam coire, ac pro calculo cystide incluso imponere potest.

Ad plura hinc, aut saltem fida magis *suppurationis renalis* signa simul attendendum est; quo certe pertinent: indubia praegressae *Nephritidis* diagnosis; signorum resolutionis benignae defectus; doloris, febrisque moderatio; sed prioris ex brevi intervallo in pulsantem transitus, et aegrotante primum in ventrem decumbere jussu, atque interdum in alterum latus, ut sublimis sit affectae partis situs, posito, suspensi veluti ponderis sensus, cum horrore doloribus interpolato, febre lenta sine ordine decurrente, ac tabis purulentae symptomatis. Alias sat manifestus ac fluctuans *renalis vomicae* ad lumbos tumor, aut indicans abscessum oedema; difficultas urinae adaucta, vel demum ejusdem, vix descriptae, interdum cum insigni foetore, purulenta excretio.

Ipsa vero haec *renalis vomica*, pro varia, quam occupat, sede, partiumque vicinarum aut majori, aut minori resistentia, nunc totam renis substantiam, ut ejusdem, praeter extimam visceris membranam aut saccum, in cadavere nihil reperiatur, consumit; nunc vero non in ipsius modo renis pelvim; sed, *exterius* disrupta, in laxa et cellulosa musculorum lumbalium, cruralium internorum interstitia; — eroso autem ad *interiora* peritonaeo cum ipsis morbose concreto, in hepate, lienem, vel, ut nuper et nos experti sumus, in ipsum colon intestinum, ac per anum, cum urina depletur. In primo casu, lotium cum pure, ac interdum cum calculis excernitur; et ulcus, ob impuram ac fistulosam naturam, difficillimae, aut nullius curationis, per gangraenam tunc facile terminandum, cum vertebrarum nonnunquam carie, relinquitur. Alias tamen fistula cum suppurato rene, donec omnis consumatur, correspondens, uretheris quasi vices agit; ac per multum tempus, sine vitae dispendio, aperta servatur. Ad *exteriora* quidem eundem renis abscessum apertum fuisse, ac cum urina purulenta calculum evacuasse; — sed brevi tempore *colon* etiam *intestinum* perforasse,

2c urinam purulentam, cum flatibus et excrementis, non modo per anum, sed per externum quoque ad lumbos et ilia ulcus expulisse, compertum habemus. Interdum vero occluso, vel a pure crassiori, vel a sanguinis grumo, vel a fecibus, aliisque, *ulceris renalis* ostio: nova mox febris, et acutissimae *Nephritidis* iterum, iterumque excitantur symptomata; donec, restituto puris effluxu, cum brevi haec ipsa solatio dispareant.

Rarus, ut aliarum inflammationum, sic *Scirrhus* et *Nephritidis*, in *scirrhum* est transitus: et ex quacunque hic demum causa oritur; non frequens certe in homine morbus est. Interim si absque resolutionis, aut suppurationis signis, durities hoc in viscere, ad tactum manifesta, sed indolens, supersit; si aegrotanti ex vacuo ventris loco veluti quidpiam pendere videatur, et stupor coxendicum, et impotentia cruris aut claudicatio adsit, mingatque pauciora, et reliquo corporis habitu aqua inter cutem laborantibus maxime similis existat; tunc de latente ad renem scirrhus, qui ad insigne volumen increvisse visus est, vix dubium manet.

Funestissimus *Nephritidis* per *gangrae*. *Gangraena* nam exitus, ex signis alibi (§. 130.) allatis

pernoscendus est, atque tum ex febris praegressae violentia, tum ex virium vitalium extrema dejectione, animi deliquiis, sudore frigido, pulsu exilissimo, admodum frequenti et intermittente, subitanea dolorum remissione, deliriis, singultu, vomitu continuo, atque vel perfecta urinae suppressione; vel lottii putridissimi, nigricantis, lividisque carunculis foedi excretionem, patebit.

Cura:

§. 262. *Nephritis* non alia, quam coeterae inflammationes, methodo (§. 133.) curanda est; interim a cantharidum applicatione abstinere jubet cognita et irritans istorum in renes, nec camphora quidem praecavenda satis, actio. Suspecta quoque ac, in majori dosi porrecta, noxia salina, et diuretica quaevis remedia sunt, quibus urinae, vel sanis interdum sensibilis acredo augetur, ac irritabilis inflammati renis substantia quammaxime stimulatur. Longior adeo a cibis abstinencia, nisi potus quodammodo suppleat, cum damno conjungitur; ac ipsae, quae bibuntur aquae fere tepidae magis, quam frigidae, ac divisim quodammodo haustibus assumantur oportet. Ipse adeo lecti calor, et continuus in dorsum decubitus, ab aegrotante, in quantum

licet, evitari debent. Clysteres, quamvis maxime necessarii, quod intestinorum in vicinum renem facile compressionem augere queant, si ad *sinistrum* inflammatio haereat: non nisi pauca quantitate, ex oleo inprimis tepido, frequentius injiciendi sunt. Nec minus lenia, quae sine stimulo alvum evacuent, remedia, ex manna potissimum, aut oleo, indicantur. Vomitum symptomaticum emulsione arabica, potuque tepido moderari interest.

Maximum igitur ex venaesectione pro violentia morbi frequentius repetenda, subsidium est. Sed post illam, scarificatio sat profunda et cucurbitulae ad lumbos sat multae, — nec minus, si forte suppressus haemorrhoidum, aut menstrui fluxus subfuerit, hirudines circa anum aut pudenda adhibendae sunt. Coeterum et lumbi linimento volatili, aut oleo frequenter, ac sine impetu illiniendi sunt. Si primis jam morbi initiis huic morbo, a calculosa materia non oriunde, medelam adhibendi foret occasio: a prima venaesectione fomenta frigida meliori apponerentur lumbis consilio; sed rarius aut tam cito hoc petitur, aut morbi tam clara est diagnosi: istoque jam quidquam prove-

cto, tepidae magis ex emollientibus fomentationes, aut semicupium praesentem jam ac fortiozem spasmum moderare queunt. Interea medicamenta ex demulcentibus, emulsione arabica, decocto hordei, vel radicibus saponariae, salep, cum melle, minime vero ex *nitro*, quod in parvis dosibus nil prodesse, in magnis vero nocere observatur, petenda sunt.

Opii usum, nisi post dissipatam venae-sectionibus inflammationem, ac sub reliqua sensibilitate nimia, in vera quidem aut *idiopathica Nephritide*, rejicimus. In illa vero, quae ex *calculis* originem duxit, opiata sub circumstantiis alibi exponendis, non raro locum habebunt.

Cum vero *suppurationis* in rene signa (§§. 128. 261.) comparent; tunc suspensa secundum regulas alibi (§. 134.) expositas, antiphlogistica methodo, maturationis opus sollicite per cataplasmata ac fomenta emollientia promovendum est. In pelvem renalem depleri vomicam, optare quidem, sed per artem praestare non possumus. Quodsi vero hoc ipsum a natura auxilium obtineri non queat; tunc sat manifesto, renis pure turgentis, in loco *Nephrotomiae* instituenda operatio,


ac ulcus profundum, ad chirurgicae artis cautelas, deplendum, detergendum, consolidandum erit. Nihil quidem hic temere praecipitandum esse, concedimus lubenter; sed, nisi prompta satis hic sectio aegrotantem salvet; quid a cunctatione auxilii esse queat, nequaquam perspicimus. Ex spontanea in abdomen, viscus aliud, nisi colon in rarissimis, ut videtur, casibus excipiendum sit; aut in musculorum interstitia, vomicae apertura, mors, licet interdum tarda, vix tamen non ubique (§. 261.) certa exspectanda est.

In casu exeuntis cum lotio a renibus puris, praeter nutrientem magis victum, subsidia ex lacte asinino, vel alio recenter mulso, ex decoctis mucilaginosi cum melle edulcorandis, tum ex cortice peruviano, aqua calcis, selterana, vel simili, interdum etiam martiali, petenda sunt. Balsamicorum, in renes potentior, actio, saepe suspecta, et cum febris urget, noxia est. Extractum myrrhae aquosum, cum illo corticis ac parva balsami copaivae portione, sub febris defectu, tentare licebit.

In renum *scirrho*, aut gangraena, quod commendare possimus remedium, in desideriiis est.

O R D. I V. G E N. V I I I.

CYSTITIS.



Varia cyst.
nar.

§. 263. **C**analium ex renibus ad vesicam ducentium morbi non satis quidem noti ac perspecti sunt; eosdem tamen et dilatari nimis, et obturari, inflammari, suppurare, ac demum disrumpi posse, cadaverum sectiones docuerunt. Facilis vero inflammationis ex rene per uretherem ad vesicam, vel ex hac, ad illum via est. Sed propria non raro sensilissimum illud urinae receptaculum inflammatio tenet: ac licet aliorum haec ipsa morborum frequentius *symptoma*, ac *erysipelae* tunc plerumque naturae esse deprehendatur; est tamen, ubi et *primaria*, ac interdum *phlegmonosa* hoc viscus inflammatione corripiatur: et quemadmodum uterque morbus *acutissimam* frequenter affectionem sistit; sic et *chronicam* non raro, ad internam plerumque superficiem limitatam, phlogosin vesica ostendit.

§. 264. *Cystitis* huic inflammationi (§. Definitio : 263.) nomen est ; ac ista potissimum in febre , lancinante ac ut plurimum profundo in hypogastrica regione , vel in pelvi dolore , conatu mingendi , desidendi pressorio , acute pungente , saepe vano ; — interdum simul in tumore attactum fugiente , ac in frequenti ad vomitum incitamento consistit .

§. 265. Praeter pedissequa inflammatio- Symptomata :
num symptomata (§. 124.) , in *Cystitide* oriuntur et alia : quae , pro varia inflammationis ad vesicam sede ac febris natura , non parum inter se differre observantur . Est vero illa vel per totum hoc viscus , vix tamen ab ipso morbi principio , dispersa ; vel ejusdem modo partem , aut lateralem , aut anteriorem , posteriorem , aut supremam seu fundum , aut infimam denique seu cervicem occupat . Quae ad latera vesicam paulo profundius adoritur inflammatio ; illa , uretherum per illius membranas oblique descendentium ostia occludens , praeter ardorem ac dolorem vesicae , lotium ab ista vel ex parte , vel omne avertit ; ac in urethere obturato , urinis , prout aliquoties in cadaveribus alias ob causas factum esse vidimus , ad in-

testini tenuis crassitiem distento, dolores oblique ad renem ascendentes, ac interdum cum manifesto hujus ductus tumore incedentes, — nec minora ad ipsum renem, plenitudinis, distensionis, irritationis symptomata producit. Ubi utroque haec latere contingunt: tunc, sub vacua protinus vesica, mox omne renum abolebitur officium; ac cita, ex stagnante in uretheribus renumque pelvi urina, aut illorum disruptio, aut lethalis sequetur gangraena. Si anteriorem magis vesicae parietem inflammatio investiat: tunc ad pubem durities, dolor maxime et ab attactu vehementer urgebit; ad posteriorem vero partem haerens affectio, in *foeminis* quidem, inflammati insimul uteri leviora symptomata, — in *viris*, ad *Rectum* magis intestinum, compressionem, alvi obstructionem ac tenesimum, aut haemorrhoidalium vasorum tensionem, pulsationem, et acutos dolores causabit. Inflammata ad fundum vesica, vix quidem magna, qua parte inflammatur, ad expellendam urinam contractio expectari potest; sed ob imminutam cystidis capacitatem, ac summam totius visceris irritabilitatem, continuus, vel a paucissimo lotio, ad mingendum nisus, — et nisi consensualis ac spasmodica

dica cervicis id impediatur contractio, citior ejusdem excretio est. Ad collum vesicae, ut quae pars crassior et causis inflammationis maxime exposita observatur, haerente morbo; ad perinaei regionem summi certe doloris sensatio figetur, atque ex urina illico suppressa, tumor ille ovalis ac oblongus ex imo abdomine, magis, quam in quocunque alio cystitidis casu, assurget; nec minus ad rectum intestinum, instituta per digitum exploratione, tumor a pressione dolens, a quo fecum per moram induratarum excretio praepeditur, ac tenesmus inducitur, patet; atque instrumento per urethram immisso, sub immani cruciату, in vesicam negabitur introductio.

Interim quantumvis haec symptomatum in cystitide, ob variam inflammationis sedem, diversitas, sub initio morbi evidentior appareat; sub ejusdem tamen incremento ac dilatatione majori, vix non omnia conspirant, ac in immenso ad hypogastrium, pelvim totam, lumbos, uretheres, perinaeum, anum, atque colum ipsum cruciату ac ardore, in perpetuo mingendi, hos dolores insigniter exasperante conatu, urinarum difficilima, tandemque penitus intercepta excretio.

ne, in abdominis tensione, dolore quasi colico, ructibus continuis, nausea, vomitione, vomitu bilioso, aeruginoso, singultu, jactatione continua, deliriis, vigiliis, sopore et convulsionibus consistunt. Mitior interim *superficialis* ac interna vesicae, *erysipelacea* ut plurimum, phlogosis est, atque per menses non raro extenditur. Cum vero, sub majori vesicae morbo, urina aut flammea, aut tenuis, aquosa protinus, ac spastica expellatur; sub mitioribus circumstantiis quamplurimum albicantis, aut subflavae, *tenacissimae*, puriformis, foetidaeque materiae cum urinis excernitur. Febris vero, quae primo in casu vehementius, et cum pulsu duro, frequenti, pleno, sub finem contracto ac parvo, vel maxime urget; in altero mitior, ac interdum vix conspicua observatur.

Causae :

§. 266. Causae *Cystitidis*, cum generalibus inflammationum causis (§. 125.), imprimis vero cum illis *Nephritidis* (§. 260.), conveniunt, ac frequentissime ex calculorum aut arenarum hoc in cavo degentium irritatione derivandae sunt. Altera vesicam ad phlogoses non raro disponens causa, menstruorum, haemorrhoidum suppressio aut aberratio.

tio, ac plethora quaevis localis est, equitatione, vectione, concussione corporis ad haec loca invitata. Huc etiam spectant partium vesicae vicinarum, correspondentium, renum scilicet, uretherum, urethrae, vaginae, perinaei, prostatae glandulae, vesicularum seminalium, uteri, intestini Recti, Coli, peritonaei inflammatio, suppuratio, ulcus; ossium pubis fractura, sectio, caries; contusio, ictus, lapsus in corpus durum, perinaeo illidens, hernia vesicae, aut vulnera, laceratio sub sectione, extractione calculi, praesertim majoris, inflictata; compressio fortis, sub difficili partu, a capite foetus, aut a vecte in vesicae partem, inprimis ad collum, aut urethram facta; mictus cruentus, blennorrhoea, fluor albus praepostere suppressa; acre quodcunque, scabiosum, venereum, blennorrhoeicum, ulcerosum, herpeticum, metastaticum, erysipelaceum, maxime vero rheumaticum, ad vesicam depositum, vel cantharidum exterius, interius, adhibitarum, aut diureticorum acrium abusus; spasmi vesicae diuturni, magnisque doloribus stipati; catheterum, cereorum repetita nimis ac imprudens applicatio, diuturna urinae retentio, etc.

Prognosis.

§. 267. Periculosissimus *Cystitis* morbus est, atque ob sensilissimam ac membranosam vesicae, — putrescentem vero retenti liquidi naturam, in illius paralytin, aut gangraenam, sub signis (§§. 132. 261.) expositis, promptissime terminatur. Solvitur hic morbus, nisi perpetua ex calculis irritatione aut haerente ad prostatam, urethram, obstaculo, alibi considerando, nutritus, *Nephritidis* ad instar (§. 261.), per urinam multam, puriformem, quae albam ac levem, tenacissimam interdum, subsidentiam habet, ac per sudorem profusum, aequalem, vaporosum. Solet autem saepe repente inflammatio solvi erysipelate juxta cutis superficiem oborto, et permanente: sub quibus vesicae tumor subsidet, haec ipsa mollescit, febris imminuitur, atque excrementis exitus patet. Quamvis vero sic inflammatio sat benigne resolvatur; saepe tamen aliquis per longum tempus vesicae tumor, cum incontinentia lotii, aut saltem cum aliqua urinam diutius retinendi impotentia, relinquitur.

Suppuratio.

Sub conditionibus (§§. 128. 261.) expositis, in vesicae quoque inflammationibus, gangraenâ licet rarior, *suppuratio* contingit. Haec vero ad maturitatem proVecta, easdem

fere, ac de *metritide* dictum est (§. 227.),
vias legit; atque, nisi per urethram absces-
sus depleatur; flebili certe eventu, vel ad
intestinum rectum (§. 243.), vel ad peri-
naeum, ad uterum ipsum (§. 227.), ad
peritoneum, viscera varia, sub inflammatio-
ne cum vesica concreta, ac demum, cum ci-
ta morte, in ipsum abdominis, pelvisque ca-
vum aperitur. Quodsi puriformis cum urina
materies ex urethra excerni observetur; cum
hoc idem sub simplici non minus *renum*
(§. 261.), quam ipsius *vesicae* phlogosi
(§. 265.), contingere, atque non raro ex *pro-
statae*, aut *vesicularum seminalium* abscessu
pus verum cum lotio praeterfluente commi-
sceri queat; non parva saepe medentes diffi-
cultas in diagnosi premit: ac eosdem, sine
praegressorum symptomatum accuratissimo
examine, in graves non raro errores conjecis-
sa est visa. Per menses, ex rheumatico in
vesicam deposito acri, ex chronica hujus vi-
sceris, saepe haemorrhoidali, phlogosi, ac
vesicae quasi *coryza*, aut *catarrho* inflamma-
torio, simillimam puri, eamque tenacem ma-
teriam, sine latentis exulcerationis periculo,
cum urinis effluxisse conspeximus. Prostatae
quidem, urethraeque abscessus, continuo aut

saltem sine nixu ad mingendum, per hanc ipsam destillare, — illos vesicae, non nisi cum lotio purulenta excernere dictum est; sed vidimus tum prostatae, tum vesicae conjunctas in eodem subjecto suppurationes; atque saepe vesica, ad cervicem inaequali tumore obsessa, perfecte quidem claudi non potest: unde, licet illa purulentum necdum humorem fundat; cum eo tamen ex prostatae abscessu veniente, in suo per urethram transitu urina misceri, ac pro vesicali proge-
nie, falso quidem argumento, declarari potest, Interim si, post superatam nephritidem, tormentum ingens in pectine pelvisque cavo, in uno eodemque loco, cum dysuria continua, ac difficultate mingendi, aut cum incontinentia urinae observetur; si purulenta ac foetida materies, sub manifesta lentaque febricula et corporis macie (§. 128.), per longum tempus excernatur; si facta per anum, aut per vaginam exploratione, ad unum eundemque vesicae locum, dolor ardens ac intolerabilis a digiti pressione observetur; tunc dirissimae tandem affectionis sat certa habetur diagnosis.

Scirrhus:

Indurationes atque callositates ad vesicam, maxime vero ad ejus cervicem, copio-

sae Medicorum observationes testantur: quae sicut non raro ex aliis chronicisque causis propullulant; sic et ex inflammationibus, maxime lentis, et specifico acri excitatis suam frequenter originem sumunt. In hunc vero statum *Cystitidem* abiisse, praeter signa hujus exitus communia (§. 129.), docet tum ipse tactus, aut instituta per anum, vaginam exploratio; tum pondus ingratum ad perinaeum, ac functionis in viscere, quae in suscipienda, retinenda, et expellenda urina consistit, laesio, pro varia indurationis sede atque exsensione, diversa. Ad immensam subinde molem vesica, parietibus suis undique densitate atque duritie auctis, increvisse, ac ad umbilicum fere usque extensa, ut in foemina pro uteri scirrho expertis in arte viris imposuerit (§. 225.), inspecta est. Ad totam, quae pubem respicit, seu anteriorem vesicae partem, callositatem longe ex pelvi prominentem latamque observavimus: quo sub partiali hujus visceris affectu, quod reliquum ex vesica sanumque est, non potest non a contento lotio in diversam a naturali formam et locum extendi, in suscepti evacuatione, aut retentione liquidi difficultatem experiri, ac in vicinas partes in di-

versos sensus agere . Ex eodem induratae cervicis vitio , urinas nunc retineri ; nunc sine voluntate emitti ; nunc vero utroque morbo simul , atque non sine maxima vesicae extensione , atque paralysis periculo , aegrotantes laborare conspiciamus .

Gangraena .

Gangraenam ad vesicam lethalem produnt signa tum generalia (§. 130.) , tum illa , quae in *nephritide* instantem ex sphacelo mortem indicare dicta sunt (§. 267.) . Sub flebilissimo hoc rerum statu , urinae , per totum inflammationis decursum suppressae , interdum sine difficultate fluunt , ac imperitis , sub quorumvis dolorum cessatione , spem vitae erigunt , post breve tempus certissima morte delendam .

Curæ

§. 268. Quae ad *renum* inflammationem curandam proposita fuerunt (§. 262.) ; ea in *Cystitide* vix non omnia in usum trahuntur . Major tamen hirudinum numerosarum , perinaeo , pudendis , post factas generales sanguinis emissiones , applicitarum hic actio esse consuevit . Post ista , sub morbo necdum provento , frigida potius , quam calida prosunt fomenta , quo loco dolor urget admovenda . Sub majori vero inflammationis

intensitate, illa quae potenter relaxant, balnea, fomentationes emollientes, potissimum indicantur. Clysteres oleosi, mucilaginosi, et hoc in morbo perutiles sunt; sed, cum ad posteriorem vesica partem ex inflammatione turgeat; non sine doloris augmento, aut etiam non sine difficultate injicientur illi, nisi aegrotante in genua et cubitos reclinato hoc opus suscipiatur. *Opio* nec hoc in morbo, sub maximo licet cruciatu, priusquam pars major inflammationis abacta sit, locus esse potest. Tunc vero, si vel a *calculo*, vel a graviori *spasmo* dolor provocetur ac pendeat: tincturae thebaicae portio vel ano commissa, vel cum emulsione arabica porrecta simul indicabitur. Nec minus reliqua post cystitidem vesicae *sensibilitas morbosa*, quod et de intestinorum hoc affectu post enteritidem dictum est (§. 244.), opium subinde expostulabit.

Cum vero urinae hoc in morbo suppressio, ejusdem licet effectus, causam tamen inflammationis irritatione sua perpetuo augeat, atque summa ex retento lotio, extensione ad crepaturam, vel perfectam paralytin usque, vesica, pericula inducat; hinc prima certe in evacuanda quantocyus per cathe-

terem urina versaretur indicatio . Ast vero , nec aditus quidem , ob summam tumentis cervicis constrictionem , specillo esse potest ; nec sine summo doloris ac inflammationis augmento , aut sine laesionis ad urethram periculo , in vesicam specillum penetrat .

In *foeminis* quidem facilius quam in *viris* , ob breviorē arduamque minus ad cystitidem in illis viam , tentari haec possunt ; sed in istis , facto semel absque impetu , vel tenuiori , cereolo , cathetere , vel flexili musicaque chorda , oleo illinitis , tentamine ; si majus huic ipsi obstaculum opponatur : a quovis ulteriori experimento , hic facile nimis fatali , abstinendum , et ad *vesicae punctiōnem* promptissime descendendum est . Quatuor haec viis tentari , atque vel per anum , vel ad perinaeum , vel ad hypogastrium , vel demum , in foeminis , per vaginam ipsam , institui potest .

Per *Rectum* quidem intestinum et ad *perinaeum* , haec operatio , quotiescunque vesica lotio plenissima , pelvis cavum , ob molem suam , jam dereliquerit ac fere tota , gravidi adinstar uteri , in abdomen ascenderit ; sine successu , quod ratione primum , dein experientia edocti sumus , tentabitur ; ac vul-

nus, per fesso tricuspede incurva intestino, in vesicam minime penetrabit. Hinc super pectine felicior hoc in casu operationis erit exitus; alias vero brevior certe per *Rectum* ad vesicam via esset; nisi inflammatae in posteriore sui parte, qua cum intestino cohaeret, et qua phlegmonis ut plurimum sedes est, vesicae, — relinquendae in eadem, ac in ano canulae, — aut repetendae frequentius operationis difficultates, illi, quae ad pubem institui potest, operationi saepius praerogativam concedere viderentur. Restituto quodammodo catheteri ad vesicam inflammatae accessu, *injectiones* iterum in hanc ipsam commendari nuperrime videmus; sed licet emollientissimas; — ob summam tamen hujus visceris irritabilitatem, ad aquam etiam, quamvis purissimam, quam ad urinam ipsam in sanis adeo hominibus multo majorem, nos quidem non facile adhibemus; nec potibus, ne urinarum quantitas augeatur, detrahendum esse aliquid cum aliis opinamur, atque plus certe febris ab impetu, ac urinarum acrimonia, quam a copia majori timeamus.

Quomodo demum vesicae *abscessus* ac

variae ad anum, peritoneum *fistulae* tractari debeant; hoc nostri non est hic fusius exponere. Reliquum in vesica *ulcus*, iisdem, quam in renibus suppuratis commendavimus, remediis (§. 262.), victuve blando et ex lacteis demulcentibus petendo, pertractandum est. Quae in *callositate* hujus visceris, aut *scirrho*, ad singula ut plurimum rebellentari queant; haec alibi fusius exponentur.

Inflammi. articulares. §. 269. De artuum articularumque inflammationibus nunc, prout promisimus (§. 137.), ac prout hae QUINTUM phlegmasiarum ORDINEM constituunt, agendum nobis superesset; sed cum pars magna illarum, ex causis *externis* oboriri solita, ad Medicinam minus, quam ad *Chirurgiam* spectare observetur; major vero earum numerus, quae ad illam pertinent, *rheumatismo* ac *arthritidi* submitti debeat: quae ambo genera inflammatoriam quidem in multis indolem assumere, — sed frequentius certe sine febre ac phlegmonoso apparatu incedere, nec non specificam ostendere naturam solent; hinc in alium hujus operis locum nobis ea, quae ex istis

ad nos spectant, — nec minus *Erysipelatis* considerationem, eo quod hoc inflammationem inter et *exanthemata* limites fere constituat, ad sequentis libri exordium, consulto reservamus.



FORMULAE MEDICAE

IN §§. PRAECEDENTIBUS CITATAE.



Num. XVIII.

Tinctura thebaica.

RECIPE Opii puri pulverisati, uncias duas,
Spiritus vini, uncias quatuor,
Vini albi generosi, libram unam,

Digere per tres dies; tunc filtra.

N. XIX.

Collyrium adstringens.

℞. Aluminis grana quinque,
Aquaе destillatae uncias quinque,
Solve.

Loco *aluminis*, vitriolum album, aut et
Saccharum saturni, ad tria vel quinque
grana, in aquae praedicta quantitate
solvi queunt.

N. XX.

Unguentum Citrinum.

℞. Mercurii vivi unciam unam,
Spiritus nitri uncias duas.

Digere super arenam, ut fiat solutio, quae
calidissima adhuc misceatur cum

*Axungiae porcinae liquefactae et in
coagulum denuo tendentis libra una.*

Strenue movendo in mortario marmoreo fiat
Unguentum.

N. XXI.

Potio laxans antiphlogistica.

℞. Pulpae tamarindorum uncias duas,
Cremoris tartari solubilis drachmas sex,
Solve in aquae unciis decem.

N. XXII.

Collutorium adstringens.

℞. Corticis quercus junioris drachmas sex,
 Coque cum aquae libra una cum dimidia
 Colaturae librae unius adde
 Aluminis drachmam dimidiam,
 Spiritus vini unciam unam cum dimidia;

Vel eadem aluminis portio solvitur in vini
 rubri unciis octo.

N. XXIII.

Linctus.

℞, Mucilaginis arabicae,
 Mellis despumati, ana unciam unam,
 Misce,

N. XXIV.

N. XXIV.

Linimentum volatile.

- ℞. Olei olivarum drachmas sex,
Spiritus salis ammoniaci drachmas duas,
Misce.

N. XXV.

Decoctum antiphlogisticum.

- ℞. Decocti hordei libras duas,
Nitri puri drachmam unam,
Oxymellis simplicis unciam unam.
Misce.

N. XXVI.

Clyster emolliens.

- ℞. Herbae Malvae drachmas duas,
Coque per quadrantem horae cum aqua.
Colaturae unciarum decem, adde
Olei lini unciam unam.

Si butyri recentis in taleolas secti unciis quatuor paulatim affundantur infusi chamomillae fervidi unciae octo, et strenue conquassando uniantur; clyster obtinetur, qui ad dimidiam portionem tepide porrectus, intestinum, in quo butyrum in coagulum tendens diutius remoratur, quam optime relaxat.

N. XXVII.

Clyster antiphlogisticus.

℞. Decocti hordei uncias decem,
Nitri puri drachmam unam,
Mellis unciam unam.

Misce.

N. XXVIII.

Decoctum polygalae Senekae.

℞. Radicis Senekae unciam unam,
Aquae libram unam cum dimidia,
Coque ad remanentiam librae unius.
Cola.

N. XXIX.

Solutio gummosa.

- ℞. Gummi ammoniaci puri drachmas duas,
Solve in haustus salini unciis septem,
Adde vini antimoniatu drachmam unam.

N. XXX.

Serum lactis vinosum.

- ℞. Seri lactis vaccini libras duas,
Vini albi generosi uncias octo,
Misce.

N. XXXI.

Emulsio alvum purgans.

- ℞. Mannae electae unciam unam cum di-
midia,
Solve in Emulsionis arabicae unciis no-
vem.

N. XXXII.

Pulvis Doweri.

℞. Pulveris tartari vitriolati drachmas tres,
Opium puri,
Radicis Ipecacuanhae, ana scrupulum unum.

Misce, et diu terendo fiat pulvis subtilissimus.

Finis Lib. II.

ERRATA


CORRIGE

Pag. Lin.

| | | | |
|-----|-----|---------------------|--------------------|
| 3 | 20. | , frequentius | . Frequentius |
| 20 | 14. | paucas | paucos |
| 25 | 12. | vasibus | vasis |
| 30 | 10. | habent | habet |
| 36 | 18. | sal volatile, cornu | sal volatile cornu |
| 39 | 17. | penetret | penetrent |
| 94 | 3. | <i>GENUS II.</i> | <i>GENUS I.</i> |
| 130 | 8. | inflammatione | ———— |
| 195 | 16. | totam | totum |
| — | 18. | correptam | correptum |
| 213 | 13. | parcas | parcae |
| — | 16. | repetita | repetitae |
| 243 | 23. | quae | qui |







H

